CALENDARIUM, REGULA, CONSTITUTIONES, ET ORDINARIUM CANONICORUM...

Canonici regolari

Digitized by Google

68
12 B
1

Imperf. Empr.
73

43546
V. 27

Paris.

Van Praet II, 37, nº. 46 e VI, 51 nº. 45. –

68.12.B.1

CALENDARIUM, Regvla, constitvtiones, et ordinarivm Canonicorum Regularium Congregationis sancti Salvatoris Ordinis sancti Augustini, PRINTED ON VELLUM, *roman and italic letter, printed in red and black, long lines, a woodcut device on the title, ornamental woodcut initials, dark blue morocco gilt, by Lewis*
4*to.* *Rome, Antonius Bladius*, 1549

CALENDARIVM, REGVLA, CONSTITVTIONES, ET ORDINARIVM

Canonicorum Regularium Congregationis ſancti Saluatoris, Ordinis ſancti Auguſtini.

✠



R O M A E *apud Antonium Bladium*,

M . D . X L I X.

Menſe Ianuario .

Præfatio in Calendarium.

ANNVM Arcades tribus menſibus explicare ſoliti ſunt, Acarnanes ſex, reliqui Græci trecentis quinquaginta quatuor diebus. Aegyptij uerò annum eſse ſtatuerunt ſolis ab una quapiam ſtellarum fixarum ad eandem reditum: idq; intra trecentos ſexaginta quinq; dies, & quadrantem, nec non centeſimam trigeſimam unius diei partem fieri dixere. Hipparchus autem Aegyptiorum errorem nonnihil corrigens ita annum definiuit, ut dixerit ſolis ab alterutro æquinoctij, uel ſolſtitij puncto ad idem eſse reditum: id uerò trecentorum ſexaginta quinq; dierum, & quadrantis unius interſtitio fieri ſolitum. Verùm Ptolemæus annum ſimiliter ferè, ut Hipparchus, deſcripſit: nam ex eodem dierum numero conſtituit, trecenteſima tantùm unius diei parte minus. Iamuerò Albategnus annùm in trecentos ſexaginta quinq; dies, horas quinq;, minuta quadraginta ſex, & ſecunda uigintiquatuor diſtribuit. Alfonſus porrò nuperrimè annum trecentos ſexaginta quinq; dies, minuta quatuordecim, ſecunda triginta tria, tertia nouem, quarta quinquaginta ſeptem, quinta quatuor, & ſexta uigintiquatuor complecti aſſeruit. Thebit igitur Choræ huius uarietatis cauſam perſcrutatus, octauæ ſphæræ motum, quem trepidationis uocant, ſuper duobus paruis circulis circum Arietis, & Libræ fixa puncta miro ingenio adinuenit, annumq; ſolis eſse reditum ab aliquo eclipticæ mobilis puncto ad idem uoluit. Romæ uerò annus primum authore Romulo decem menſium fuit, nulla uidelicet habita ſolis ratione, ſed illius tantùm, quod intra hoc tempus

mulieris partus expleretur: ut Romulus *ipſe omnes humanas actiones eo temporis interuallo metiri uoluerit, quo hominem rerum dominum perfici exiſtimauit.* Quocircà *ab* Ouidio *in* Faſtorum *principio his uerbis notatus eſt.*

Tempora digereret cum conditor Vrbis, *in anno*
Conſtituit menſes quinque bis eſſe ſuo.
Scilicet arma magis, quàm ſydera Romule *noras,*
Curaque finitimos uincere maior erat.

Primum autem menſem Martium *à* Marte *progenitore nominauit: alterum* Aprilem *à* Venere *generis ipſius principe, quæ* Aphrodite Græcis *dicitur: tertium* Maium *à maioribus, ideſt ſenibus: quartum* Iunium *ſimiliter à iunioribus:* Quintilem *quintum, ſextum* Sextilem, *quorum ille poſteà* Iulius *à* Iulio Cæſare, *hic* Auguſtus *ab* Auguſto *dictus eſt, et cæteros deinceps ſimiliter à numero omnes appellauit.* At Numa Pompilius *duos alios menſes,* Ianuarium *à* Iano, *&* Februarium *à febrius, ideſt purgamentis, quæ eo menſe adhibebantur, nuncupatos in anni principio illis adiecit, et* Græcos *imitatus annum ipſum in duodecim menſes redegit, ut in trecentos quinquaginta dies, quibus duodecies curſum ſuum conficere lunam exiſtimauit, annus extenderetur.* Adiecit *prætereà ſex alios dies: ac rurſùm è toto numero unum exemit, ut dierum numerus impar haberetur, eſſentque trecenti quinquaginta quinque dies.* Poſtremò Iulius Cæſar *annum probè conſtituit, &* Aegyptios *(ut dicitur) ſecutus, iuxta* Hipparchi *(cuius ante meminimus) traditionem annum trecentorum ſexaginta quinque dierum, et quadrantis unius, quo ſpatio et ipſe curſum ſuum abſoluere ſolem ſu-*

ſpicatus eſt, eſſe ſtatuit: unde quarto quoq; anno ex quatuor illis reliquis quadrantibus ſumptum diem unum intercalari uoluit, idq; ante quinq; Februarij extremos dies, quo nimirum loco uetus quoq; intercalatio fieri ſoleret, ex quo menſis ille intercalaris dictus eſt: ipſumq; intercalarem diem Biſsextum appellauit, propterea quod in ſextum calendas martias cum repoſuiſset, ut bis ſexto calendas ibidem eſset proferendum, utiq; ipſius Biſſexti die, & ſequenti, quem ipſi poſteà ad. D. Matthiæ memoriam deo conſecrauimus: unde noſtrum diſtichum habes.

Biſsextum ſextæ Marti tenuere calendæ:
 Proxima Matthiæ lux celebranda uenit.

Hinc itaq; factum eſt, ut biſsextilis annus trecentis ſexaginta ſex integris diebus conſtaret. Iamuerò ita dies in menſes partitus eſt, ut Aprili, Iunio, Septembri, atq; Nouembri tricenos, reliquis tricenos unos tribuerit dies, excepto Februario, quem uiginti octo duntaxat dies, & Biſsexti anno uigintinouem habere iuſsit. Verum cum annus ſubtiliore, ac ueriore definitione (ut ante ſignificauimus) ſolis ab aliquo Eclipticæ mobilis puncto ad idem reditus ſit, isq; centeſima ferè unius diei parte minus, quàm ille ſtatuerit, complectatur, eandemq; Eccleſia rationem hactenus ſecuta ſit, errore factum eſt, ut intra annorum mille quingentorum quadraginta octo ſpatium, ex quo annos à Domini humanatione, ſeu natiuitate computauimus, ipſe conceptionis Chriſti dies Aequinoctium uernum quatuordecim diebus, totidemq; hybernum ſolſtitium dies natiuitatis eiuſdem hac noſtra ætate antecedat, cum tamen compertum illud ſit, diem illum ſanctiſsimum, quo Deipara uirgo à cæleſti nuntio

ſalutata

ſalutata Chriſtum concepit, eum ipſum fuiſse, qui proximè Aequinoctium uernum ſecutus eſt: ſimiliterq; diem alterum illum iucundiſsimum, quo idem dei filius pro humani generis ſalute in lucem hanc prodijt, eum fuiſse, qui à ſolſtitio hyberno primus illuxit, cui ſententiæ diuina Oracula accedere uidentur, quæ quo tempore dies excreſcere incipiunt, eo ipſum ſeruatorem mundi Chriſtum deum optimum maximum è ſanctiſsima, beatáq; Virgine natum produnt. Eum tamen ordinem (ut diximus) adhuc, & certa quidem ratione, ſeruat Eccleſia. Quare Calendarium iam de more, iuxta tamen (quod ad diuorum feſta celebranda ſpectat) Congregationis noſtræ. s. Saluatoris, Ordinis. s. Auguſtini, Canonicorum Regularium hinc exordiemur, ſi primum breues quaſdam regulas ad Literam dominicalem, Aureum numerum, lunæ coniunctionem, Septuageſimam, & Paſcha ſingulis annis in Calendario inueniendum, tradiderimus.

De litera dominicali.

Ac primum quidem in ſubiecta tabella Literam dominicalem ſingulis annis hoc pacto inuenias, ſi primam literam, quæ eſt F, tribueris anno M. D. XLIX. ſequentem, quæ eſt E, anno M. D. L. ſicq; deinceps progrediare, quouſq; ad deſtinatum annum perueneris. Siquidem ea Litera dominicalis erit, ſuper quam illius anni numerus ceciderit: quæ ſi unica erit, annum eſse communem intelliges, ſin duplex, ideſt ſuperior, & inferior, biſſextilem: quo anno prior, ideſt ſuperior uſq; ad. D. Matthiæ apoſtoli feſtum deſeruiet, inferior ad reliquam anni partem accommodabitur. Illud tamen ſciendum eſt, exactis iuxta literarum tabulæ numerum uiginti octo annis, rur-

ſum ad principium cum annis tunc ſequentibus redeundum.

Tabula uerò ea eſt.

f.e.d.c.A.g.f.e.c.b.A.g.e.d.
b d f
c.b.g.f.e.d.b.A.g.f.d.c.b.A.
A c e g

De Aureo numero.

Eodem modo, ut de Litera dominicali dictum eſt, Aureum numerum inueſtiges, ſi in ſubiecta numerorum ſerie primum, qui eſt.xi. anno.M.D.XLIX. tribueris, ſequentem, qui eſt.xij. anno.M.D.L. & ſic deinceps, donec ad propoſitum tibi annum perueneris. Abſolutis tamen nouendecim annis, iterùm regredere ad principium. Porrò numeri ij ſunt.

xi. xij. xiij. xiiij. xv. xvi. xvij. xviij.
xix. i. ij. iij. iiij. v. vi. vij. viij. ix. x.

De Lunæ coniunctione.

Duplex in Calendario poſitum Aureum numerum, nigrum, ac rubrum offendes. Vbi igitur ſumpti anni Aureus (ut diximus) numerus ruber inciderit, ibi lunæ coniunctionem iuxta Romanæ ritum Eccleſiæ tibi in ſingulos menſes proferenda erit: ſuper qua re nos diſtichum luſimus.

Congreſsus, lucemq; nouam proferto Dianæ,
Aurea quo numeri ſymbola rubra cadent.

Quòd ſi uerum lunæ locum deprehendere uolueris, hinc per has quatuor dictiones ſurſum uersùs progredere In cœlis hic eſt, ſingulas ſingulis diebus ſyllabas tribuendo: atq; ita quidem quarto demum ante die Aſtronomos lunam ſuam rectè

ſtatuere

ſtatuere comperies.

De Septuageſima.

Vbicunq; autem Aureus numerus niger ſiue in Ianuario, ſiue in Februario tibi occurrerit, ſequenti dominico die Septuageſima erit celebranda. Quòd ſiquando numerus ille in dominicam ipſam inciderit, tunc in alteram proximè ſuccedentem Septuageſimam reijcies: in quo noſtrum etiam habes.

Quem Ianus dederit poſt Septuageſima nigrum,
  Februus aut numerum, lux prior alma dei eſt.
Aureus ipſe tamen ſiquando uenit in illam,
  Quæ ſubit hanc eadem proxima, ſume diem.

De Paſchate iuxta ritum Eccleſiæ.

Porrò ſacrum reſurrectionis diem habebis, ſi poſt Epiphaniorum feſtum ter nouam pertranſeas lunam. Nam in ſequentem proximè dominicam Reſurrectio cadet: ſin autem in dominicam ipſam luna inciderit, in altera proximè ſequenti (ut de Septuageſima dictum eſt) Paſcha celebrandum erit: in quo etiam ludere libuit.

Poſt lumen ſtellæ lunam ter mitte nouellam,
  Tertia dehinc Domini lux tibi paſcha dabit.
Si coit ipſa tamen lucem quandoq; ſub illam,
  Quæ ſubit hanc eadem proxima, ſume diem.

De eodem alio modo.

Idem breuius nunc docebimus. Quocunq; Aureus numerus niger in Martio, ſiue in Aprili, etiam in dominicum diem inciderit, proximè ſequenti Dominica paſcha celebratur: de quo aliud noſtrum ſubiecimus.

Atrum

Atrum poſt numerum Aprili, ſeu Marte notatum,
  Paſcha die Domini ſub propiore coles.
Aureus ipſe tamen ſignando uenit in illam,
  Quæ ſubit hanc eadem proxima, ſume diem.

De quatuor anni ieiunijs.

Iamuerò quemadmodum quatuor ſunt anni partes Ver, Aeſtas, Autumnus, & Hyems, quas Græci ὥρας dicunt: ita quatuor ab Eccleſia ſunt ſolennia inſtituta ieiunia ſingula ſingulis anni partibus deſtinata, quæ ob eandem cauſam Quatuor tempora uulgò appellant. Ea porrò ternos obtinent dies Mercurij, & Veneris, ac Sabbati continuò ſequentes. Ac primum quidem ieiunium poſt Cineres, alterum poſt Pentecoſtèn, tertium poſt Crucis exaltationem, poſtremum ſecundum diem. D. Luciæ uirgini dicatum, omnia proximis Mercurij (ut diximus) diebus auſpicantur: quòd ſi fortè etiam alterutrum horum duorum, quæ poſtremò dicta ſunt, feſtorum in ipſum Mercurij diem inciderit, non is quidem, ſed qui proximus ſuccedet, ieiunij dies erit: quod ſimiliter his uerſibus comprehendimus.

Ieiunes cinis, & Paracletus, Lucia, Cruxq;,
  Mercuri poſt ſe conſtituere die.
Si duo poſtrema cadant quoq; feſta ſub illam,
  Ieiuni hæc eadem proxima habenda tibi eſt.

Annus igitur (ut dictum eſt) menſes duodecim, hebdomadas ſeptuaginta duas, diem unum, & quadrantem, hoc eſt CCCLXV dies, et horas ſex, biſſextilis CCCLXVI integros dies continet, ut in ſubiectis menſium tabulis facilè deprehendes.

CAL. IANVARIVS *habet dies* XXXI, LVNA *verò* XXX.

Aur.nu. niger.	Aureus nume.					Dies ho ras qrtas	Nox ho. ras qrtas
	iii	A		1	Circũciſio Chri. Dup.ma. Et. s. Baſilii	9.0	15.0
					epi conf. Et. s. Martinæ uirg. m̃.		
		b	iiii. non.	2	Octaua. s. Stephani. Semid. ma.		
	xi	c	iii. non.	3	Oct. s. Ioãnis. Semid. ma. Et. s. Danielis		
					m̃. Fiat die ſequẽti poſt oct. Epiphaniæ		
		d	Prid. no.	4	Octaua. ss. Innocentium.		
	xix	e	Nonis	5	De Vigilia Epiphaniæ. Semid. minus		
	viii	f	viii. idus	6	Epiphania Chriſti. Duplex. maius		
		g	vii. idus	7	De octaua Epiphaniæ. Semid. minus		
	xvi	A	vi. idus	8	De octaua Epiphaniæ.		
	v	b	v. idus	9	De octaua Epiphaniæ.		
		c	iiii. idus	10	De oct. Epi. s. Pauli primi eremitæ cõf.	9.1	14.3
					Sol ingredit̃ Aq̃rium. Hyemis adulta		
	xiii	d	iii. idus	11	De octaua Epiphaniæ. s. Iginii papæ m̃.		
	ii	e	Prid. id.	12	De octaua Epiphaniæ.		
		f	Idibus	13	Octaua Epiphaniæ. Semid. maius		
	x	g	xix. cal'	14	s. Felicis in Pincis presbyteri martyris.		
		A	xviii. cal'	15	s. Mauri abbatis confeſſoris.		
	xviii	b	xvii. cal'	16	s. Marcelli papæ martyris.		
16	vii	c	xvi. cal'	17	s. Antonii abbatis confes. Semid. minus		
5		d	xv. cal'	18	s. Priſcæ uirginis martyris. (m̃m̃.		
	xv	e	xiiii. cal'	19	ss. Marii, Marthæ, Audifax, & Abachuc		
13	iiii	f	xiii. cal'	20	ss. Fabiani, & Sebaſtiani m̃m̃. Semid. mi.	9.2	14.2
2		g	xii. cal'	21	s. Agnetis uirginis martyris. Semid. mi.		
	xii	A	xi. cal'	22	ss. Vincentii, & Anaſtaſii m̃m̃. Solenne.		
10	i	b	x. cal'	23	s. Emerentianæ uirginis martyris.		
		c	ix. cal'	24	s. Timothei epiſcopi martyris.		
18	ix	d	viii. cal'	25	Conuerſio. s. Pauli apoſtoli. Duplex mi.		
7		e	vii. cal'	26	s. Polycarpi epi m̃. Anniuerſarium p̃rum		
					& matrum nr̃arum Ord. nr̃i. Semid. ma.		
	xvii	f	vi. cal'	27	s. Ioannis Chryſoſtomi epiſcopi confes.		
15	vi	g	v. cal'	28	s. Agnetis ſecundo. Fiat eodem die		
4		A	iiii. cal'	29			
	xiiii	b	iii. cal'	30			
12	iii	c	Prid. cal'	31	ss. Cyri, & Ioannis martyrum.		

✠

Aur. nu. n. iger.	Aureus nume.				**CAL.** Februarius habet dies xxviii. Luna uerò xxix. ſi biſſextilis erit, ille dies xxix, hæc xxx.	Dies horas q̄tas	Nox horas q̄tas
1		d		1	s Egnatii epiſcopi martyris.	10.0	14.0
	xi	e	iiii. non.	2	Purificatio beatæ Mariæ uirginis, ſeu Hypante Domini. Duplex maius		
9		f	iii. non.	3	s. Blaſii epi̅ martyris. Semid. minus		
	xix	g	Prid. no.	4	s. Giliberti confeſſoris.		
17	viii	A	Nonis	5	s. Agathæ uirginis m̄. Semid. minus		
6	xvi	b	viii. idus	6	s. Guarini epi̅ cardinalis conf. Canonici regularis		
	v	c	vii. idus	7			
14		d	vi. idus	8			
3	xiii	e	v. idus	9	s. Apolloniæ uirginis m̄. Fiat eodem die Sol ingreditur Piſces, hyems præceps		
	ii	f	iiii. idus	10	s. Scholaſticæ uirginis.	10.2	13.2
11		g	iii. idus	11			
	x	A	Prid. id.	12			
19		b	Idibus	13	s. Fuſcæ uirginis martyris. Fiat eodem die		
8	xviii	c	xvi. cal'	14	s. Valentini presbyteri martyris.		
	vii	d	xv. cal'	15			
		e	xiiii. cal'	16			
	xv	f	xiii. cal'	17			
	iiii	g	xii. cal'	18	s. Conſtantiæ reginæ uirginis.		
		A	xi. cal'	19			
	xii	b	x. cal'	20		11.0	13.0
	i	c	ix. cal'	21			
		d	viii. cal'	22	Cathedra. s. Petri apoſtoli, Duplex mi.		
	x	e	vii. cal'	23	Vigilia		
		f	vi. cal'	24	s. Mathiæ apl̄i. Dup. mi. Locus biſſexti		
	xvii	g	v. cal'	25			
	vi	A	iiii. cal'	26			
		b	iii. cal'	27			
	xiiii	c	Prid. cal'	28	Tráſlatio ſecunda. s. Auguſtini epi̅ p̄ris noſtri Duplex minus		

Au. nu. nigr.	Au. nu. ruber	CAL.	MARTIVS *habet dies* XXXI,	LVNA *verò* XXX.		Dies horas q̃rtas	Nox horas q̃rtas
	iii.	d		1	s. Herculani epiſcopi martyris.	11.2	12.2
		e	vi. non.	2	s. Albini epi cõfeſſoris Canonici regularis		
	xi	f	v. nonas	3			
		g	iiii. non.	4			
	xix	A	iii. non.	5			
	viii	b	Prid. no.	6			
		c	Nonis	7	s. Thomæ aquinatis conf. Et. ss. Perpetuæ, & Felicitatis uirginum martyrum		
	xvi	d	viii. idus	8			
	v	e	vii. idus	9	ss. Quadraginta martyrum.		
		f	vi. idus	10		12.0	12.0
	xiii	g	v. idus	11	Sol ingredit Arietem, & fit uer nouum, Aequinoctium uernum.		
	ii	A	iiii. idus	12	s. Gregorii pp. conf. doctoris. Dup. mi.		
		b	iii. idus	13			
	x	c	Prid. id.	14			
		d	Idibus	15			
	xviii	e	xvii. cal'	16			
	vii	f	xvi. cal'	17			
		g	xv. cal'	18			
	xv	A	xiiii. cal'	19	s. Ioſeph conf. nutritii Dñi. Dup. mi.		
	iiii	b	xiii. cal'	20		12.2	11.2
16		c	xii. cal'	21	s. Benedicti abbatis confes. Semid. mi.		
5	xii	d	xi. cal'	22			
	i	e	x. cal'	23			
13		f	ix. cal'	24			
2	ix	g	viii. cal'	25	Annuntiatio beatæ Mariæ uirg. Dup. ma.		
		A	vii. cal'	26			
10	xvii	b	vi. cal'	27			
	vi	c	v. cal'	28			
18		d	iiii. cal'	29			
7	xiiii	e	iii. cal'	30			
	iii	f	Pridie cal'	31			

CAL. APRILIS *habet dies* XXX. LVNA *verò* XXIX.

Au. nu. niger	Aureus nume.					Dies horas quartas	Nox horas quartas
15		g		1		13.0	11.0
4	xi	A	iiii . non.	2			
		b	iii . non .	3			
12	xix	c	Prid. no.	4			
1	viii	d	Nonis	5	s . Vincẽtii confeſ . ordinis Prædicatorum		
	xvi	e	viii . id .	6			
9	v	f	vii . idus	7			
		g	vi . idus	8			
17	xiii	A	v. idus	9	Tranſlatio. s . Monicæ mr̃is. s. Auguſtini		
6	ii	b	iiii . idus	10	(Duplex minus Sol ingreditur Taurum . Ver adultum	13.2	10.2
		c	iii . idus	11			
14	x	d	Prid . id.	12			
3		e	Idibus	13			
	xviii	f	xviii cal'	14	ss . Tiburtii , Valeriani , & Maximi m̃m̃.		
11	vii	g	xvii . cal'	15			
		A	xvi . cal'	16			
19	xv	b	xv . cal'	17	s . Aniceti papæ martyris .		
8	iiii	c	xiiii . cal'	18			
		d	xiii . cal'	19			
	xii	e	xii . cal'	20		14.0	10.0
	i	f	xi . cal'	21			
		g	x . cal'	22	ss . Soteris , & Caii pontificum martyrum		
	ix	A	ix . cal'	23	s . Georgii m̃ . Duplex minus . Fiat ſe-		
		b	viii . cal'	24	(cundum patriam		
	xvii	c	vii . cal'	25	s . Marci Euangeliſtæ . Duplex minus		
	vi	d	vi . cal'	26	ss . Cleti , & Marcellin ipontificum m̃m̃.		
		e	v . cal'	27			
	xiiii	f	iiii . cal'	28	s . Vitalis martyris .		
	iii	g	iii . cal'	29	s . Petri martyris. Ordinis Prædicatorum Et . s . Catharinæ ſeneſis uirginis .		
		A	Prid . cal'	30			

Dies horas	Aureus nume.				CAL. MAIVS habet dies XXXI. LVNA uerò XXX.	Nox horas
14.2	xi	b		1	ss. Philippi, & Iacobi apoſtolorum. Dup. mi.	9.2
		c	vi. non.	2	s. Athanaſii epiſcopi confeſſoris.	
	xix	d	v. nonas	3	Inuẽtio. s. Crucis. Dup. mi. Et. ss. Alexandri papæ, Euẽtii, Theodoli, ac Iuuenalis m̃m̃.	
	viii	e	iiii. non.	4	s. Monicæ uiduæ. Duplex minus	
		f	iii. non.	5	Conuerſio. s. Auguſtini. Duplex minus	
	xvi	g	Prid. no.	6	s. Ioãnis ante portam latinam. Duplex minus	
	v	A	Nonis	7		
		b	viii. idus	8	Apparitio. s. Michaelis archãgeli. Semid. ma.	
	xiii	c	vii. idus	9		
14.3	ii	d	vi. idus	10	ss. Secũdini, & Agabii epõr, & Secũdi martyr. Fiat eodem die. Et. ss. Gordiani, & Epimachi martyrum	9.1
		e	v. idus	11		
	x	f	iiii. idus	12	ss. Nerei, Archilei, atq; Pancratii martyrum. Sol ingreditur Geminos. Ver præceps	
		g	iii. idus	13		
	xviii	A	Prid. id.	14	s. Bonifatii martyris.	
	vii	b	Idibus	15	s. Bernardi confeſſoris Canonici Regularis.	
		c	xvii. cal'	16	s. Vbaldi epiſcopi confeſſoris. Semid. minus	
	xv	d	xvi. cal'	17		
	iiii	e	xv. cal'	18		
		f	xiiii. cal'	19	s. Potentianæ uirginis.	
15.0	xii	g	xiii. cal'	20	s. Bernardini confeſſoris Ordinis minorum.	9.0
	i	A	xii. cal'	21		
		b	xi. cal'	22		
	ix	c	x. cal'	23		
		d	ix. cal'	24		
	xvii	e	viii. cal'	25	s. Saluatoris, qui titulus eſt Congõnis nr̃æ. Dup. maius. Et. s. Vrbani papæ martyris	
	vi	f	vii. cal'	26	s. Eleutherii papæ martyris.	
		g	vi. cal'	27	s. Ioannis papæ martyris.	
	xiiii	A	v. cal'	28		
	iii	b	iiii. cal'	29		
		c	iii. cal'	30	s. Felicis papæ martyris.	
	xi	d	Pridie cal'	31	s. Petronillæ uirginis.	

CAL. IVNIVS, *habet dies* XXX. LVNA *uerò* XXIX.

Dies hō: ras q̃tas	Aureus nume.					Nox ho: ras q̃tas
15.1		c		1		8.3
	xix	f	iiii. non.	2	ss. Marcellini, Petri, & Eraſmi martyrum.	
	viii	g	iii. non.	3		
	xvi	A	Prid. no.	4		
	v	b	Nonis	5		
		c	viii. idus	6		
	xiii	d	vii. idus	7		
	ii	e	vi. idus	8		
		f	v. idus	9	ss. Primi, & Feliciani martyrum.	
15.1	x	g	iiii. idus	10		8.3
		A	iii. idus	11	s. Barnabæ apoſtoli Duplex minus	
	xviii	b	Prid. id.	12	ss. Baſilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarii m̃m̃. Sol ingreditur Cancrum. Aeſtas noua. Solſtitium æſtiuum. Dies anni longiſsimus.	
	vii	c	Idibus	13	s. Antonii presbyteri cõf. Ordinis minorum	
		d	xviii. cal'	14		
	xv	e	xvii. cal'	15	ss. Viti, Modeſti, atq; Creſcentiæ martyrum.	
	iiii	f	xvi. cal'	16	¶Fiat eodem die	
		g	xv. cal'	17		
	xii	A	xiiii. cal'	18	ss. Marci, & Marcelliani fratrum martyrum.	
	i	b	xiii. cal'	19	ss. Geruaſii, & Protaſii fratrum martyrum.	
15.1		c	xii. cal'	20	s. Syluerii papæ martyris.	8.3
	ix	d	xi. cal'	21		
		e	x. cal'	22	s. Paulini epiſcopi confeſſoris.	
	xvii	f	ix. cal'	23	Vigilia	
	vi	g	viii. cal'	24	Natiuitas. s. Ioannis Baptiſtæ præcurſoris domini noſtri IESV Chriſti. Dup. maius	
		A	vii. cal'	25	s. Proſperi epiſcopi confeſſoris Canonici Regularis.	
	xiiii	b	vi. cal'	26	ss. Ioannis, & Pauli fratrum martyrum. Semiduplex minus.	
	iii	c	v. cal'	27	De Octaua. s. Ioannis.	
		d	iiii. cal'	28	s. Leonis papæ confeſſoris. Vigilia	
	xi	e	iii. cal'	29	ss. Petri, & Pauli apoſtolorum. Dup. maius	
		f	Prid. cal'	30	Cõmemoratio. s. Pauli apoſtoli. Dup. minus	

CAL. IVLIVS, *qui & Quintilis, habet dies* XXXI, LVNA *uerò* XXX.

Dies horas	Aureus nume.					Nox horas
15.0	xix	g		1	Octaua . s . Ioannis Baptiſtæ . Semid . minus	9 . 0
	viii	A	vi . non .	2	Viſitatio glorioſæ uirginis Mariæ . Dup . ma .	
					Et . ss . Proceſsi , & Martiniani martyrum .	
		b	v . non .	3	De octaua Viſitationis . Semiduplex minus	
	xvi	c	iiii . non.	4	De octaua Viſitationis .	
	v	d	iii . non .	5	De octaua Viſitationis .	
		e	Prid. no.	6	Octa . ss . Petri , & Pauli apoſtol . Dup . mi .	
	xiii	f	Nonis	7	De octaua Viſitationis .	
	ii	g	viii. idus	8	De octaua Viſitationis .	
		A	vii . idus	9	Octaua Viſitationis . Duplex minus	
14.3	x	b	vi . idus	10	ss . Septem fratrum martyrum . Et . ss . Ruffinæ , & Secundæ martyrum .	9 . 1
		c	v . idus	11	s . Pii papæ martyris .	
	xviii	d	iiii . idus	12	ss . Naboris , & Felicis martyrum .	
	vii	e	iii . idus	13	s . Anacleti papæ martyris .	
		f	Prid . id.	14	Sol ingreditur Leonem . Aeſtas adulta	
	xv	g	Idibus	15	ss . Quiritii , & Iulitæ martyrum .	
	iiii	A	xvii , cal'	16		
		b	xvi , cal'	17	s . Alexii confeſſoris .	
	xii	c	xv . cal'	18	ss , Symphoroſæ , & Septem filiorum eius mm̄.	
	i	d	xiiii . cal'	19		
14.2		e	xiii . cal'	20	s . Margaritæ uirginis martyris .	9 . 2
	ix	f	xii . cal'	21	s . Praxedis uirginis .	
		g	xi . cal'	22	s . Mariæ Magdalenæ . Semidup . maius	
	xvii	A	x . cal'	23	s . Apollinaris epi̅ mar , Et . s . Brigidæ uiduæ	
	vi	b	ix . cal'	24	s . Chriſtinæ uirginis martyris . Vigilia	
		c	viii . cal'	25	s . Iacobi apoſt . Du . mi . Et . s . Chriſtophori m̄	
	xiiii	d	vii . cal'	26	s . Annæ matris beatæ Virginis . Dup . minus	
					Et . s . Paſtoris presbyteri confeſſoris .	
	iii	e	vi . cal'	27	s . Pantaleonis martyris . Fiat eodem die	
		f	v . cal'	28	ss . Celſi , Nazarii , Victoris , & Innocentii mm̄	
	xi	g	iiii . cal'	29	s . Marthæ uirginis . Fiat eodem die . Et . ss . Felicis , Simplicii , Fauſtini , & Beatricis mm̄ .	
	xix	A	iii . cal'	30	s . Abdonis , & Sennis martyrum .	
		b	Prid . cal'	31		

CAL. AVGVSTVS, *qui idem Sextilis dicitur*, *habet dies* XXXI. LVNA XXIX.

Dies horas q̃rtas	Aureus nume.					Nox horas q̃rtas
14.0	viii	c		1	s. Petri ad Vincula dup. mi. Et.ss. Septẽ fratrũ	10.0
	xvi	d	iiii.non.	2	s. Stephani papæ m̃. (Macabæorum. m̃m̃.	
	v	e	iii. non.	3	Inuentio corporis.s.Stephani protomartyris.Fiat	
		f	Prid. no.	4	s. Iuſtini presbyteri martyris. (eodem die	
	xiii	g	Nonis	5	s. Mariæ ad Niues. dup. mi. Et.s. Dñici confeſ.	
	ii	A	viii. idus	6	Transfiguratio Dñi.dup.ma. Et.ss.Xyſti p̃p̃. Fe	
		b	vii. idus	7	s. Donati Ep̃i m̃. (liciſsimi,& Agapiti m̃m̃.	
	x	c	vi. idus	8	ss. Cyriaci, Largi, & Smaragdi martyrum.	
		d	v. idus	9	s. Romani martyris. Vigilia	
13.2	xviii	e	iiii. idus	10	s. Laurentii leuitæ martyris. Duplex minus	10.2
	vii	f	iii. idus	11	ss. Tyburtii, & Suſannæ martyrum.	
		g	Pri.idus	12	s. Claræ virginis.	
	xv	A	Idibus	13	Octaua Trãſfi. ſemid. ma. Et. ss. Hippolyti,	
					(& ſocioꝝ.m̃m̃.Et. s. Simpliciani Ep̃i cõfes.	
	iiii	b	xix. cal'	14	s. Euſebii presbyteri confes. Sol ingreditur	
					Virginem. Et fit Aeſtas præceps. Vigilia	
		c	xviii.cal'	15	Aſſumptio glorioſæ virginis Mariæ. Dup.ma.	
	xii	d	xvii. cal'	16	De Octaua Aſſumptionis. Semidup. minus	
	i	e	xvi. cal'	17	Octaua. s. Laurentii. Semidup. maius	
		f	xv. cal'	18	De Octaua Aſſumptionis. s. Agapiti martyris	
	ix	g	xiiii. cal'	19	De Octa. Aſſump. s. Rufini ep̃i m̃. Fiat die ſe-	
					quẽti poſt oct. Et. s. Lodouici ep̃i cõf. ord.mi.	
13.0		A	xiii. cal'	20	De Oct. Aſſumpt. s. Bernardi abb. conf. Fiat	11.0
	xvii	b	xii. cal'	21	De Oct. Aſſumpt. (die ſequẽti poſt. s. Rufinũ	
	vi	c	xi. cal'	22	Octaua Aſſumpt.dup.mi. Et.ss. Timothei, Hip	
		d	x. cal'	23	Vigilia. (polyti,& Symphoriani martyrum	
	xiiii	e	ix. cal'	24	s.Bartolemæi ap̃li.Dup.mi. Fiat de more patriæ	
	iii	f	viii. cal'	25	s. Lodouici Regis Francorum confeſſoris.	
		g	vii. cal'	26	s. Zepherini papæ martyris.	
	xi	A	vi. cal'	27	(maius. Et. s. Hermetis martyris.	
	xix	b	v. cal'	28	s. Auguſtini ep̃i cõfeſ. doct. p̃ris nr̃i. Duplex	
		c	iiii. cal'	29	Decollatio. s. Ioãnis Baptiſtæ. Semidup. ma.	
					Et. s. Sabinæ martyris.	
	viii	d	ii. cal'	30	De Octaua. s. Auguſtini. Semid. mi. ss. Feli.	
		e	Prid. cal'	31	De Oct. s. Auguſtini. (cis, & Adaucti m̃m̃.	

Dies ho. ras q̃tas	Aureus nume.		CAL.		SEPTEMBER habet dies XXX. LVNA ſimiliter XXX.	Nox ho. ras q̃tas
12.2	xvi	f		1	De octaua . s . Auguſtini. ss . Duodecim fratrumm ar . Et . s . Aegidii abbatis confes.	11.2
	v	g	iiii.non .	2	De octaua . s . Auguſtini. s . Antonini m̃ .	
		A	iii . non .	3	De octaua . s . Auguſtini.	
	xiii	b	Prid. no.	4	Octaua . s . Auguſtini . Duplex minus	
	ii	c	Nonis	5	Cõmemoratio fratrum , ſororum . ppinquorum , & bñfactorum defunctorum Ordinis nri. ſemi.ma.	
		d	viii. idus	6		
	x	e	vii . idus	7	s . Adriani m̃ .	
		f	vi . idus	8	Natiuitas glorioſæ uirg. Mariæ . dup. maius.	
	xviii	g	v . idus	9	De oct . Natiuit . ſemid. s . Gorgonii m̃ .	11.0
12.0	vii	A	iiii . idus	10	De oct . Natiuit . s . Nicolai cõf. ord. Eremit.	12.0
		b	iii . idus	11	De oct . Natiuit . ss.Proti , & Hyacinthi m̃m̃.	
	xv	c	Prid . id.	12	De oct . Natiuitatis .	
	iiii	d	Idibus .	13	De oct . Natiuit . & Cypriani pont. m̃m̃.	
		e	xviii . cal'	14	Exaltatio . s . Crucis dup. mi. Et. ss. Cornelii Sol ingreditur Libram , & fit Autumnus nouus , æquinoctium autumnale.	
	xii	f	xvii . cal'	15	Octaua Natiuit. dup. mi. Et. s. Nicomedis m̃	
	i	g	xvi . cal'	16	ss.Euphemiæ, Luciæ, & Geminiani martyrum	
		A	xv . cal'	17		
	ix	b	xiiii . cal'	18		
		c	xiii . cal'	19		10.0
1.2	xvii	d	xii . cal'	20	ss.Euſtathii , & ſociorum martyrum . Vigilia	12.2
	vi	e	xi . cal'	21	s . Matthæi apoſtoli Euangeliſtæ. Dup. minus	
		f	x . cal'	22	ss.Mauritii , & ſociorum martyrum .	
	xiiii	g	ix . cal'	23	s . Lini papæ martyris .	
	iii	A	viii . cal'	24	s . Teclæ uirginis martyris .	
		b	vii . cal'	25		
	xi	c	vi . cal'	26	ss . Cypriani , & Iuſtinæ uirginis martyrum .	
	xix	d	v . cal'	27	ss . Coſmæ , & Damiani fratrum martyrum	
		e	iiii . cal'	28		
	viii	f	iii . cal'	29	Dedicatio . s . Michaelis Archangeli . dup.mi.	
		g	Prid . cal	30	s . Hieronymi presbyteri cardinalis confeſſoris , doctoris . Duplex minus	

CAL. OCTOBER *habet dies* XXXI. LVNA *verò* XXIX.

Dies horas quartas	Aureus numerus					Nox horas quartas
11.0	xvi	A		1	s. Remigii epiſcopi confeſſoris.	13.0
	v	b	vi. non.	2		
	xiii	c	v. non.	3		
	ii	d	iiii. non.	4	s. Franciſci confeſſoris. Duplex minus	
		e	iii. non.	5		
	x	f	Prid. no.	6		
		g	Nonis	7	ss. Sergii, Bacchi, Marcelli, & Apulei martyrum. Et. s. Marci papæ confeſſoris.	
	xviii	A	viii. idus	8	*Iustine virginis & [illegible]*	
	vii	b	vii. idus	9	ss. Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii martyrum	
10.2		c	vi. idus	10	s. Cerbonii epiſcopi cōf. Canonici Regularis. Et. s. Ioannis confeſſoris, Canonici Regu.	13.2
	xv	d	v. idus	11	Tranſlatio prior. s. Auguſtini. Duplex mi.	
	iiii	e	iiii. idus	12		
		f	iii. idus	13		
	xii	g	Pri. idus	14	s. Calliſti papæ martyris. Sol ingreditur Scorpium Autumnus adultus.	
	i	A	Idibus	15		
		b	xvii. cal'	16		
	ix	c	xvi. cal'	17		
		d	xv. cal'	18	s. Lucæ Euangeliſtæ. Duplex minus	
	xvii	e	xiiii. cal'	19		
10.0	vi	f	xiii. cal'	20		14.0
		g	xii. cal'	21	ss. Vrſulæ, & ſociarum. xi. millium virginum m̃ȳ. Fiat eodem die. Et. s. Hylarionis abb. conf.	
	xiiii	A	xi. cal'	22		
	iii	b	x. cal'	23		
		c	ix. cal'	24		
	xi	d	viii. cal'	25	ss. Chyſanthi, & Dariæ martyrum.	
		e	vii. cal'	26	s. Euariſti papæ martyris.	
	xix	f	vi. cal'	27	Vigilia	
	viii	g	v. cal'	28	ss. Simonis, & Iudæ apoſtolorum. Dup. mi.	
		A	iiii. cal'	29		
	xvi	b	iii. cal'	30		
	v	c	Prid. cal'	31	Vigilia	

CAL. NOVEMBER habet dies XXX. LVNA item XXX.

Dies hor.	Aureus numer.					Nox hor.
9.2		d		1	Omnium ſanctorum. Dup.ma. Et.s.Cæſarii m̄	14.2
	xiii	e	iiii. non.	2	De oct. omnium ſanct. Semid.mi. Cõmemoratio Omnium defunctorum fidelium. Duplex mi.	
	ii	f	iii. non.	3	De octaua Omnium ſanctorum.	
		g	Prid. no.	4	De oct. Omnium ſanct. ss. Vitalis, & Agricolæ (martyrum	
	x	A	Nonis	5	De octaua Omnium ſanctorum.	
		b	viii. idus	6	De octaua Omnium ſanct. s. Leonardi confeſ.	
	xviii	c	vii. idus	7	De octaua Omnium ſanctorum.	
	vii	d	vi. idus	8	Octaua Omnium ſanctorum. Duplex minus Et ss. Quatuor Coronatorum martyrum.	
		e	v. idus	9	Dedicatio baſilicæ Domini Saluatoris in Vrbe Duplex minus. Et. s. Theodori martyris	
9.1	xv	f	iiii. idus	10	ss. Tryphonis, Reſpicii, & Nymphæ martyr.	14.3
	iiii	g	iii. idus	11	s. Martini epi cõf. Semid.ma. Et. s. Mennæ m̄	
		A	Prid. id.	12	s. Martini papæ martyris. (præceps Sol ingreditur Sagittarium, & fit Autumnus	
	xii	b	Idibus	13	s. Paterniani epi confes. Fiat eodem die. Et. s. (Britii epi confeſſoris	
	i	c	xviii. cal	14		
		d	xvii. cal	15		
	ix	e	xvi. cal	16		
		f	xv. cal	17		
	xvii	g	xiiii. cal	18	Dedicatio baſilicarũ. ss. Petri, & Pauli apl'orum Dup.mi. Et.s.Phrydiani epi cõf. Can.Reg.	
	vi	A	xiii. cal	19	s. Pontiani pp. m̄. Et. s. Eliſabeth uiduæ	
.0		b	xii. cal	20	s. Gelaſii pp. confeſſoris Canonici Regularis	15.0
	xiiii	c	xi. cal	21	Præſentatio glorioſæ uirginis Mariæ. Dup.mi.	
	iii	d	x. cal	22	s. Cæciliæ uirginis martyris.	
		e	ix. cal	23	s. Clementis pp. m̄. Semid. mi. Et. s. Felicita (tis m̄.	
	xi	f	viii. cal	24	s. Chryſogoni martyris.	
	xix	g	vii. cal	25	s. Catharinæ uirginis martyris. Semid. mi.	
		A	vi. cal	26	s. Petri Alexandrini epiſcopi martyris.	
	viii	b	v. cal	27		
		c	iiii. cal	28		
	xvi	d	iii. cal	29	s. Saturnini martyris. Vigilia	
	v	e	Prid. cal	30	s. Andreæ apoſtoli. Duplex minus	

CAL. DECEMBER *habet dies* XXXI, LVNA *uerò* XXIX.

Dies horas q̃tas	Aureus nume.					Nox horas q̃tas
8 . 3	xiii	f	[illegible]	1	s. Anſani martyris.	15.1
	ii	g	iiii. non.	2	s. Viuianæ uirginis martyris.	
		A	iii. non.	3		
	x	b	Prid. no.	4	s. Barbaræ uirginis martyris.	
		c	Nonis.	5	s. Sabæ abbatis confeſſoris.	
	xviii	d	viii. idus	6	s. Nicolai epi confeſſoris. Semidup. minus	
	vii	e	vii. idus	7	s. Ambroſii epi cõfeſ. doctoris. Duplex min.	
		f	vi. idus	8	Conceptio glorioſæ uirg. Mariæ. Dup. maius	
	xv	g	v. idus	9		
8 . 3	iiii	A	iiii. idus	10	s. Melchiadis papæ martyris.	15.1
		b	iii. idus	11	s. Damaſi papæ confeſſoris.	
	xii	c	Pri. idus	12	Sol ingreditur Capricornum, hyems noua, ſolſtitium hybernum, & bruma, ideſt dies anni breuiſsimus.	
	i	d	Idibus	13	s. Luciæ uirginis martyris. Semidup. minus	
		e	xix. cal'	14	s. Agnelli abbatis confes. Fiat eodem die	
	[illegible]	f	xviii. cal'	15		
		g	xvii. cal'	16		
	xvii	A	xvi. cal'	17		
	vi	b	xv. cal'	18		
		c	xiiii. cal'	19		
8 . 5	xiiii	d	xiii. cal'	20	Vigilia	15.1
	iii	e	xii. cal'	21	s. Thomæ apoſtoli. Duplex minus	
		f	xi. cal'	22		
	xi	g	x. cal'	23		
	xix	A	ix. cal'	24	De Vigilia Natiuitatis Dñi. Semidup. mi.	
		b	viii. cal'	25	NATIVITAS Domini. Dup. maius Et s. Anaſtaſiæ martyris.	
	viii	c	vii. cal'	26	s. Stephani protomartyris. Duplex minus	
		d	vi. cal'	27	s. Ioannis apoſtoli. Duplex minus	
	xvi	e	v. cal'	28	ss. Innocentium martyrum. Semidup. maius	
	v	f	iiii. cal'	29	s. Thomæ archiepi marty. Semidup. minus	
		g	iii. cal'	30		
	xiii	A	Prid. cal'	31	s. Syluestri papæ confeſſoris. Semidup. mi.	

Finis Calendarii.

QVONIAM DIVI PATRIS noſtri Auguſtini regula ad amputanda uitia; uirtutesq; animis inſerendas uniuerſè inſtituta eſt, nec ſpeciatim uictus, ueſtitus, cerimonias, alióſue regulares mores attingit, quæ omnia maximè hac noſtra tempeſtate ab omnibus, qui religioſam in monaſterijs uitam degunt, uariè, diſtinctéq; obſeruari uidemus: propterea; quicunq; hactenus ſub eadem beati Antiſtitis regula deo merere uoluerunt, omnes ſibi leges quaſdam, ſeu conſtitutiones ſigillatim de rebus omnibus, quæ in religioſæ, canonicæq; uitæ diſciplinam, & ſtatum caderent, pro ſuo quiq; ingenio, ac uoto præſcripſere: id quod à noſtris etiam hominibus centum, & quadraginta ab hinc annis factum eſt: de quorum inſtituti ratione pariter, atq; origine antequàm dicere aggrediamur, quædam pro re præfari libet. Enimuero ſiquis ingenio etiam mediocri rerum mortalium conditionem, fluxamq; naturam paulò attentius conſyderet, atq; perpendat, is demum profectò ut ſapientiſsimè, ita uerìſsimè illud dictum eſse intelliget, Rerum omnium eſse uiciſsitudinem. Siquidem ubi à cœlo, ipſiſq; cœlitibus diſceſseris, quorum planè immortalis eſt, ac ſempiterna natura, cætera omnia & elementa, & quæ ex elementis concreta ſunt, tam animata, quàm inanima, ſiue rationis expertia ſint, ſiue ratione utantur, certo tempore neceſsariè ſolum-

tur, atq; intereunt. Vnde illud etiam efficitur, ut non ipſi ſolum homines non ſemper ijdem ſint, ſed hominum quoq; ſenſus, uoluntates, conſilia, & opiniones, adde etiam uictus, ueſtitus, mores, conſuetudines, ac inſtituta aliquando commutentur. Cum enim omnia tempori ſubiecta ſint, omnia etiam ſimul cum tempore fluant, tranſmutentur, et ſeſe alias, atq; alias ſubinde induant in formas neceſſe eſt: quod ſanè non temerè, nec caſu, ſed certa potius, admirabiliq; fit naturæ ratione, ut nimirum hac propagatione, ſucceſſuq; continuato immortalitatem quodammodo res conſequantur, ac ſimul uitæ ſatietas uarietate tollatur. Quamobrem iure quidem optimo inepti ſemper ij habiti ſunt, qui eundem in rebus ſtatum perpetuò requirendum putauere: & odioſi comprimis ſenes, qui omnia ad priſcos mores, anteq; acta tempora dirigentes nihil non reprehendant, & criminentur, quod à prima ipſorum memoria, uſuq; diſcrepet, atq; recedat. Sedenim alia tempora alios neceſſariò mores habent, & ſicuti cætera omnia, ita ciuitates, Reſpublicæ, imperia, regna, & quibus illa nituntur, leges interdum commutantur: qua etiam ductus ratione ſapientiſſimus Plato fatales dixit eſſe Rerum pub. conuerſiones: ut ne mirum quidem uideri debeat, ſi ea, quæ ad ipſas Reſpublicas, et imperia ſimilitudine quadam, & affinitate accedunt, domus, familiæ, ſocietates, collegia, ſodalitates, ſacri quoq; religioſorum uirorum, fœminarumq; cœtus, Congregationes quas appellant,

lant, nonnullam et ipſa quandoque commutationem ſubeant, atque uiciſsitudinem. Ac nobis quidem præclarè imprimis illi feciſse uideri ſolent, qui rebus omnibus tum ſacris, tum profanis, tam publicis, quàm priuatis, quæ certo quodam ordine, ac regula diriguntur, ſtatis temporibus, quaſi luſtro quodam adhibito, conſulendum eſſe, & tanquàm in uetere domo quæ corrupta forent, repurganda: quæ proclinata, erigenda: quæ collapſa, reficienda: quæ nuper ad uitæ uſum adinuenta, comprobanda legibus partim abrogandis, quibuſdam immutandis, partim etiam nouis inſtituendis pro rerum conſeruatione, communique hominum commodo, & utilitate cenſuere. Nam etſi (quæ ſapientiſsimorum uirorum ſententia eſt) leges nec facilè mutandæ, nec temerè reſcindendæ ſunt: nihil tamen ferè memoria dignum ab ijs actum eſt, qui arreptum ſemel qualecunque uitæ inſtitutum ita mordicus tenuerunt, ut nulla poſteà ratione ab eo diſcedere, & ueſtigijs patrum, quæ ab ineunte ætate inſtiterint, ne latum quidem (ut aiunt) unguem ſe mouere animum induxerint. Sed ij potius magnam, ac immortalem ſunt laudem conſecuti, qui magno animo, magnóque conſilio, ubi res tulit, ac publica utilitas poſtulauit, & uetera corrigere, & nouis quaſi naſcentibus morbis noua iure, atque ordine auſi ſunt afferre remedia. Leges quidem cum alij alijs, tum uerò Aegyptiis Mercurius is, qui Triſmegiſtus dictus eſt, Amphion Thebanis, Draco & Solon

Athenienſibus, Lycurgus Lacedæmonijs, omnes omnium ſapientium iudicio præclariſsimas, Romanis etiam Decemuiri dedere, quæ (ut eloquentiſsimus ipſorum ſcribit orator) omnium philoſophorum bibliothecas & authoritatis pondere, & utilitatis ubertate ſuperare uiderentur: attamen nec has Romani, nec illas illi ſemper omnino retinuere: ſed alias alijs pro temporum uarietate, fortunæq; uiciſsitudine uſi ſunt, ut hinc etiam illud, quod anteà ſignificauimus, luculenter appareat, quàm fatui, quamq; uecordes dicendi ſint, qui eundem ſemper in rebus humanis modum, finemq; ſtatuunt, & ſiqua (ut aſsolet) in moribus, aut cibis, aut ueſtibus, aut totius deniq; uitæ cultu quantumlibet leuis mutatio fiat, protinus uelut ad portentum aliquod clamitant ò tempora, ò mores: quaſi uerò immortalitatem in rebus fluxis, atq; caducis ſtatuere fas ſit, ac non potius ad hominum utilitatem, atq; honeſtatem, quæ cauſarum multo, uarioq; ſucceſſu non eædem ſemper habentur, reſpicere debeamus. Quæ igitur ab hominibus proficiſcuntur, ſimul etiam cum hominibus commutentur, ac porro alia tempora alios mores, alij mores alias leges habeant uelimus, nolimus neceſſe eſt. Sed quorſum hæc tam multa? profectò nequid mirum uideatur, ſi patres illi, qui religioſam hancce familiam noſtram in ſingulas ætates gubernandam ſuſceperunt, non eaſdem omnino & ipſi ſemper conſuetudines, & inſtituta tenuere. Nam cum animaduerterent ab ijs, qui

eam primùm inſtituerunt, leges quaſdam eſſe poſitas, in quibus finem ſibi rerum diuinarum cognitionem, contemplationemq́; ſiue tu dei cultum malis appellare, propoſuiſſent, ut eum facilius aſſequerentur omnes, qui deinceps in eum Ordinem aſciſcerentur, aliquoties pro re nata eas leges nonnihil immutarunt, correxeruntq́;, nonnunquam etiam nouas addiderunt. Ac primùm quidem (ut rem quàm breuius fieri poterit, à principio repetamus) extitit pater ille omni reuerentia, & memoria dignus Stephanus ſenenſis, quem ex omni religioſorum fratrum, Eremitanos quos uocant, familia ultrò delegit, in quo potiſsimum collapſum ferè, atq; iacentem ea tempeſtate Canonicorum Regularium Ordinem excitaret, ac redintegraret inſignis pietate, ac religione Gregorius Venetus eius nominis duodecimus pontifex maximus. Hunc igitur optimus pontifex, ut eius Ordinis, quem animo iampridem deſtinarat, fundamenta iaceret, Lucam, ubi tum fortè erat, acciuit: eundemq́;, & ſex alios lectiſsimos eiuſdem familiæ patres, ac Stephani in eodem propoſito ſocios, ueros, ac germanos Canonicos Regulares inſtituit, ac declarauit, præcipuo, ac proprio ipſius, Romanæq́; Sedis dono ſcapulari ſuper rocheto (qui rochetus commune eſt omnium Canonicorum Regularium geſtamen) inſignitos: eumq́; Ordinem Canonicorum Regularium ſancti Saluatoris appellauit, ſumpto nimirum cognomento à monaſterio diui Saluatoris in loco, quod Ili-

cetum ab ilicibus, quibus frequens eſt, uocant, tribus fe rè paſſuum millibus ab urbe Senis diſtante, quod quidem monaſterium, ut ante Stephanus ipſe, & ſocij habitarant, ita ijs poſt Ordinem illum recèns redintegratum ad habitandum pontifex tradidit. Tum uerò eoſdem in ſuam, Romanæq; Sedis tutelam receptos multis, atq; ampliſsimis priuilegijs donauit, quibus uniuerſi eius Ordinis, & familiæ authoritatem, ac dignitatem plurimam eſse uoluit. Sed primùm omnium, nequid tanto operi perficiendo deeſset, tribus ampliſsimis uiris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus Antonio epiſcopo Bononienſi quæſtori pontificio, Gabrieli eiuſdem ærarij præfecto, ac Ioanni utriq; epiſcopo nuper deſignato Senarum illi, huic Epidauri, quam Raguſiam recentiores uocant, mandatum per literas dedit, ut religioſis uiris leges, ac uiuendi formam ſtatuerent, quæ ſibi pro dei gloria ad eius Ordinis ſtabilimentum, conſeruationem, amplificationemq; expedire uiderentur: quod egregiè ab illis nauatum eſt. Nam leges quaſdam paucas illas quidem, ac breues, ut exiguus erat id temporis hominum noſtrorum nùmerus, ſed magna tamen ſapientia, & conſilio excogitatas tam Stephano, & ſex illis Canonicis in monaſterio iliceta no tum degentibus, quàm alijs omnibus, qui eandem uitæ rationem ubicunq; in poſterùm eo in Ordine ſuſcepturi eſſent, obſeruandas dedere anno à Domini natiuitate milleſimo quadringenteſimo octauo, menſe Aprili, quas leges

quoniam

quoniam noua quaſi illorum uita conſtitueretur, conſtitutiones appellarunt. Verùm cum non ita multò poſt Canonici illi monaſterio hocce ilicetano iuſtis quibuſdam de causis, quas in præſentia referre non attinet, ceſsiſsent, ad quatuor fermè annos incertis ſedibus, quaſi altera Abraæ familia à deo tentati, quo fide poſteà, & conſtantia clariores, atq; illuſtriores euaderent, oberrarunt. Nam primus illorum pater Stephanus pontificem ſecutus eſt, ſedandæ ſeditionis cauſa, qua non mediocriter ea tempeſtate Chriſtiana res, ac religio diſtrahebatur, huc illuc diſcurrentem: reliqui uerò Bononiam primùm, deinde paucis ibi menſibus exactis, Fabrianum Anconitanæ regionis oppidum conceſsere, ibiq; uſque ad annum nati Seruatoris milleſimum quadringenteſimum quartumdecimum, qui ſeptimus ferè ab inſtituto Ordine erat, piè, ſanctéq; uitam duxere: quo nimirum tempore, ut deſtinatis iam à deo incrementis Ordo noſter adaugeretur, inde primùm in monaſterium. D. Ambroſij extra urbem Eugubium à præclariſsimo uiro Vidone Antonio à Monteſeltrio Vrbini comite, et Eugubij principe, pontifice ipſo Gregorio probante, ſibi attributum demigrarunt, ibiq; demùm poſt multa diſcrimina, uarioſq; labores læti conquieuerunt: deinde breui temporis, ideſt quatuor ferè annorum interiectu & numero, & fama aucti Bononiam in monaſterium. D. Saluatoris, cui alterum. D. Mariæ ad Reni fluminis ripas religionis iure copulatum erat, aſciti ſunt,

Nam cum Canonici quidam Regulares precipui nominis, ac dignitatis in ijs duobus monaſterijs anteà floruiſsent, ac poſteà bellorum incendio, multisq; inde conſecutis calamitatibus conſumpti fuiſsent, Franciſcus Giſelerius Bononienſis uir non minus animi pietate, quàm generis nobilitate præclarus, qui ſolus ex ijs omnibus ſuperfuerat, ac Primus ibi præerat, accepta Canonicorum noſtrorum in monaſterio ambroſiano degentium ſanctæ uitæ fama, quos etiam antè, cum Bononiæ agerent, uiderat, ac obſeruarat, extinctam familiam ſuam ex illis reparare cogitauit. Itaq; id operam dat, ut Martinus is, qui proximè Gregorio ſucceſserat, eius nominis quintus, Romanus pontifex maximus monaſterium ambroſianum cum duobus hiſce bononienſibus unius obſeruationis uinculo coniungat, atq; in unum, eundemq; Canonicorum Regularium Ordinem redigat: unde nimirum illud etiam factum eſt, ut Canonici noſtri licet monaſterio ilicetano iamdudum renuntiaſsent, eundem tamen titulum ſancti Saluatoris à nobiliſsimo hocce bononienſi, quòd eiuſdem atq; illud cognominis eſſet, atq; in eo tum ſecundò redintegratus Canonicorum noſtrorum Ordo fuiſſet, retinerent: ipſumq; monaſterium tanquàm prima redintegratæ Congregationis origo, & fundamentum primas poſteà in uniuerſo Ordine ferret. Quamobrem cum ſe Canonici noſtri in tria iam hæc monaſteria quaſi in colonias quaſdam diffudiſſent, leges etiam, conſtitutionesq;, quibus

pauci

pauci, & unum duntaxat adhuc monaſterium incolentes uſi fuerant, magna ex parte immutare, & quaſi dilatando ad modum, formamq; multiplici familiæ, & Congregationi accommodam, redigere neceſſe fuit. Itaq; pontifex ipſe Martinus cum duo illa monaſteria Bononiæ noſtris Giſelerij rogatu (ut diximus) conceſsiſset, ſimul Antonio epiſcopo bononienſi Cardinali uni ex tribus, quos anteà conſtitutiones edidiſſe diximus (quod alter nimirum ex collegis Roma id temporis abeſſet, alter dudum è uita migraſſet) coràm mandatum addidit, ut ubi in prioribus illis rudioribus, ac ferè inchoatis legibus, & conſtitutionibus ſancitum fuerat, ut Pater illius monaſterij ilicetani primus, & ſex Canonici unà quiduis addere, ſeu detrahere arbitratu ſuo poſſent, ipſe tum ſolus ex animi ſui ſententia, quem etiam in eo religione obſtrictum uoluit, alias leges, & conſtitutiones, quas religioni congruas, & Ordini noſtro ſalutares iudicaret, eadem, qua anteà priores, authoritate formaret, quibus Canonici noſtri in poſterum ſeſe, rémq; ſuam communem regerent, ac gubernarent. Quare ſapiens Antiſtes ut pontificis uoluntatem pariter, atq; imperium exequeretur, cum antè rem omnem accuratius perpendiſset, id demùm pronunciauit, ac ſtatuit, ut magna comitia (quod uulgò Capitulum generale nuncupamus) primo quoq; tempore à noſtris haberentur, atq; in ijs penes Patres ipſos Ordinis eo conuocatos omne ius, & arbitrium priorum illarum

legum , ac conſtitutionum corrigendarum , moderandarumq; , atq; adeò nouarum pro ipſorum uſu , & commodo condendarum foret , quæ tamen leges duarum ſaltem ex tribus electorum partibus conſenſu , atq; ſuffragijs probarentur . His itaq; primùm omnium in monaſterio ambroſiano Eugubij celebratis comitijs anno uidelicet à Seruatore nato milleſimo quadringenteſimo uiceſimoquinto tertio nonas maias , qui poſteà agendorum comitiorum dies legitimus ad multos annos in Ordine fuit , ipſe Stephanus primus uniuerſæ Congregationis Pater , ſeu (ut noſtri loquuntur) Prior generalis omnium ſuffragijs eſt declaratus , Atq; hic primùm Patres illi noſtri legum libellum , quibus adhuc ſub rudioribus illis , ac difficilioribus initijs utcunq; uſi fuerant , ritè (quemadmodum Cardinalis decreuerat) emendarunt , ordinarunt , ac ferè innouarunt , omnia ad ſua ipſorum tempora , ſtatumq; Ordinis non præſentem modò , ſed futurum etiam , quantùm maximè intelligere potuerunt , referentes : atq; ea quidem ſecunda conſtitutionum editio manu conſcripta in Ordine fuit . Porrò in ijs conſtitutionibus ad poſterum tranquillitatem , canonicam libertatem , diſciplinamq; , ac dignitatem Ordinis retinendam cum multa quidem , tum uerò illud imprimis diuinitùs certè cauerunt , nullum in Ordine decretum uim conſtitutionis habere , niſi ternis prius magnis continuatis comitijs approbatum , et confirmatum : quod etiam in ipſo conſtitutionum exordio ſcriptum reli-

querunt

„ querunt his uerbis. Ne autem de facili multiplicentur,
„ uel irritentur conſtitutiones, uel mutentur (quod moder-
„ nis temporibus frequenter prouenit ex animi leuitate) no
„ lumus quod ſtatutum aliquod habeat uim conſtitutionis, niſi
„ fuerit per duo Capitula generalia continua approbatum:
„ & tunc confirmari poterit in tertio Capitulo immediatè
„ ſequenti, uel deleri, ſi magis expediens fuerit iudicatum.
Hinc ſub ijs legibus, ac inſtitutis ad multos annos, hoc eſt uſq; ad Xyſtum eius nominis quartum ſauonenſem pontificem maximum benè, beatéq; Canonici noſtri uixere, tametſi nonnihil interim illis iure addi contigerit. Etenim cum in dies ſuccreſceret, et tanq; feliciſsimus grex fœtu uberiore religioſum ſodalitium noſtrum mirandum in modum adaugeretur, & ad tria illa, quæ antè commemorauimus, permulta alia monaſteria, loca, iura, ac bona acceſsiſsent, nonnulla interdum ex priore illa formula ternis magnis comitijs comprobata decreta ad Canonicorum commodum, & utilitatem antè editis conſtitutionibus Patres neceſſariò addidere: quæ additiones etſi pontificio priuilegio eam uim obtinerent, acſi ab ipſa Romana Sede iamtum confirmatæ fuiſsent: eas tamen unà cum cæteris conſtitutionibus, atq; Ordinis inſtitutis, quo ſtabilior, ac tutior aduerſus malorum impreſsiones res noſtra foret, unà etiam cum priuilegijs omnibus, quæcunq; anteà ab alijs pontificibus maximis familiæ noſtræ ab initio tribiata fuerant, ab ipſo Xyſto approbandas, confirmandaſq; cura-

runt, quo uidelicet tempore ſecundum in pontificatu ille age bat annum, qui fuit ſalutis milleſimus quadringenteſimus ſe ptuageſimus tertius, menſe Maio: qui idem pontifex ad religio nem augendam, amplificandamq; propemodum natus non modo quæ diximus priuilegia ab alijs conceſſa confirmauit, ſed ijs multa etiam alia ipſe adiecit, omniaq; quibus alij om nes Canonici Regulares, et Eremitanorum Ordo, necnon aliorum Canonicorum Regularium Congregatio, quam La teranenſium uocant, uterentur, Ordini noſtro impertiuit, omnia certo conſilio unico diplomate plumbea nota conſi gnato ad perpetuam facti memoriam comprehenſa, pri mo uniuerſi Ordinis patre nuper declarato Bartolemæo parmenſi primum, collegisq; Cenſoribus omnibus item primum Angelo, & Vitale bononienſibus, et Zacharia ueneto: quo certe facto contentos eſſe Patres illos noſtros opportuit. Verum non ita multo poſt, anno utiq; decimo poſtquam ea facta fuerant, cum primoribus Patribus, qui tum ad Reipub: noſtræ gubernacula ſedebant, et cæteris in Ordine authoritate anteibant, multa in ijs legibus tradita partim obſcura, quædam ambigua, partim difficiliora uide rentur, quæ totum Ordinem quandoq; conturbare uideren tur, ad omnia incommoda, difficultatesq; auferendas, quo mente tranquilliore religioni, rebusq; diuinis Canonici no ſtri uacarent, animum appulere: quorum plane propoſitum laudari potuit, res laudari non potuit: Siquidem ad id ope ris peragendum eam ineunt rationem, ut in magnis comitijs

in monaſterio diui Michaelis archangeli Candianæ habitis eo anno, qui alter, et octogeſimus ſupra milleſimum quadringenteſimum ab hominum ſalute fuit, quo etiam totius Congregationis primatum inijt Lodouicus forliuienſis tertium, cenſuram uerò Benedictus florentinus decimum, Iacobus parmenſis octauum, & Io. Maria uenetus primum: ex omni Patrum numero, qui ferendi ſuffragij ius haberent, ſeptem potiſsimum deligantur, qui conſtitutiones omnes intra unius menſis ſpatium recognoſcant, corrigant, immutent, ac rurſum arbitratu ſuo liberè conforment, omnidq; quæcunq; ſtatuerint, quo ſtatim executioni mandentur, poſtmodum authoritate pontificia confirmanda procurent: quod quidem illi munus utcunq; pro tam exiguo in re tam graui temporis interuallo executi ſunt, ita ut ſequenti quoq; anno in magnis comitijs conſtitutiones illas nouas, quæcunq; erant, promulgarint, cum iam ipſe Benedictus florentinus, quem ſuperiore anno cenſuram geſsiſse diximus, primus totius Ordinis Pater quartum eſſet deſignatus, cenſores Marianus florentinus ſextum, Franciſcus carauagienſis, et Zacharias uenetus quartum. Verum id poſteà paſsim in Ordine uulgatum non omnino pleriſq; Patrum, Canonicorumq; placuit, plurimorum etiam animos grauiſsimè offendit tum quòd præter canonicam diſciplinam, et antiquam ternorum comitiorum de legibus ferendis formulam factum fuiſſet, tum quia pleraq; eorum, quæ à ſeptem illis recens irrogata fuerant, communi utili-

bonp

tati, canonicæq; libertati plurimùm repugnare perſpiceren tur. Quare cum gliſcente in dies animorum indignatione res ad diſcordiam ſpectare uideretur, Primusq; totius Ordinis Pater interim è medio exceſsiſſet, Innocentius pontifex maximus eius nominis octauus genuenſis, qui in Xyſti locum paulò ante ſuffectus fuerat, iuſtis, atq; aſsiduis uniuerſæ Congregationis noſtræ precibus fatigatus, perſuaſu etiam optimi uiri Franciſci Cardinalis ſenenſis tum Ordinis noſtri protectoris, impedenti malo ita occurrendum putauit, ut ſtatuerit nouas ſeptem illorum, quæ aſſerebantur, conſtitutiones, etiam ſi ab ipſo Xyſto comprobatæ uiderentur, nullas tamen Canonicos noſtros aſtringere, niſi quæ poſteà ternis magnis comitijs deinceps celebrandis ex uetere antedicta legum formula receptæ, approbatæ, & confirmatæ fuiſſent, debere: quo nimirum quaſi diuino quodam cælitus affulgente lumine, protinus omnis illa animorum tempeſtas ſedata eſt. Itaq; Senatus noſter eius decreti ui ſuis priſtinis legibus, ac libertati reſtitutus incredibile eſt, quantum ſtatum ſuum redintegrarit, auxerit, amplificarit. Nam ferè ſeptem illorum placita deleuit, cætera uerò omnia in conſtitutionibus magna diligentia, conſilio, ac fide recognouit, quæ obſcura erant, elucidando: quæ ambigua, diſtinguendo: quæ inutilia, auferendo: quæ ardua nimis, ut difficilia, temperando: eaq; triginta tribus capitibus diſtincta tum primum typis excudenda curauit: quibus etiam d. s. patris noſtri Auguſtini regulam, necnon ritualem librum,

quod

quod nos Ordinarium dicimus, boceſt ritus, ac cerimonias Ordinis continentem, undequadraginta capitibus ſimiliter diſtributum addidit, quo ſcilicet tempore nonageſimus ſeptimus ſupra milleſimum quadringenteſimum a uirginis partu agebatur annus. Quamobrem boc loco mirari ſatis non queo, quomodo proœmium impreſsioni buic præfixum, uitioſum, atq; adulterinum eſſe noſtrum antebac animaduerterit nemo: quando conſtitutiones quidem ipſæ, quibus bactenus ſanctiſsime uſa eſt Congregatio noſtra, non eæ ſint, quas ſeptem illi derepente effudere, ſed quas omnis Patrum ſenatus ritè, ac iure edidit intra duodecim annorum ſpatium conformatas: cum tamen præfationem illam perſpicuum ſit eam eſſe, qua ſeptem illi uſi fuerant, quæ cum omnia ferè illorum placita (ut diximus) reſciſſa, atq; abrogata ſint, neſcio quomodo ipſa permanſerit, quæ nonnullos noſtrorum in magnos quandoq; errores inducere potuerit. Succeſsit interim Innocentio Alexander ſextus Valentinus, Pius tertius ſenenſis Alexandro, et buic Iulius ſecundus ſauonenſis, qui uel quod è Xyſti familia eſset, qui nos plurimum dilexerat: uel quia etiam ante pontificatum Ordinis patrocinium geſserat: uel quod bomo planè ad religionem illuſtrandam, religioſosq; cobioneſtandos natura factus eſſet: uel potius bis omnibus ſimul de cauſis tanto uniuerſam familiam noſtram amore, ac potius pietate proſecutus eſt, ut cum de omnibus religioſis Ordinibus optimè meritus ſit, longè tamen pluribus, & amplioribus

honoribus, ac beneficijs noſtrum hunc unum, quàm cæteros omnes auxerit, et ornarit: qui etiam, dum in humanis ageret, cum in monaſterio noſtro diui Petri, ad Vincula quod uocant, in Vrbe ferè uerſaretur, et Canonicis noſtris familiarius, quàm dici, aut credi poſsit, uteretur, à noſtris meritò Ordinis parens uocari ſolitus erat: atque etiam nunc ſanctiſs. pontificis ſicut in uniuerſo orbe Chriſtiano ob Eccleſiam reſtitutam, imperiumque apoſtolicæ Sedis propagatum, ita etiam apud nos ob immortalia in uniuerſum Ordinem noſtrum merita, memoria habetur ſacroſancta. Is ergo cum multa prius nobilia monaſteria, et ſacerdotia Ordini noſtro contuliſſet, quamplurima etiam, eaque ampliſſima priuilegia ijs, quæ ante à Xyſto, ab alijſque, qui Xyſto deinceps ad ea uſque tempora ſucceſſerant, acceperamus, addidit: eaque omnia denuò in unum corpus compacta, literiſque ſigno plumbeo conſignatis perpetuæ memoriæ tradita familiæ noſtræ condonauit anno eius pontificatus nono, menſe Aprili, qui ab humano genere ſeruato milleſimus quingenteſimus duodecimus numerabatur. Sed tamen illud omnium maximum fuit, quòd non eo contentus præclariſsimus pontifex, quòd Xyſtus anteà nos eorum, quos ſupra commemorauimus, priuilegijs participare uoluiſſet, ipſe quoque alia omnia addidit, quæ tam Ordinibus Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, et Seruorum beatæ Mariæ, quàm Congregationi monachorum. s. Iuſtinæ, ſiue. s. Benedicti Caſſinenſis à quibuſcunque Romanis pontificibus hactenus conceſſa eſſent,

ſa, eſſent, et in poſterum concederentur: atq; iis omnibus Ordinem noſtrum perinde potiri ſtatuit, ac ſi propria illi tributa, noſtroq; nomine primùm inſcripta fuiſſent. Qui idem cum diſsidij, atq; altercationis Xyſti tempore in Congregatione ſubortæ, cuius omnis necdum memoria intercide rat, cauſam non ignoraret, cum omnes antè editas conſtitutiones authoritate ſua confirmauit: tum uerò in primis ueterem formulam eam, quæ de abrogandis, inſtituendis'ue legibus eſt (quòd eam iuſtiſsimam, et Ordini maximè ſalutarem iudicaret) proprio, ac peculiari priuilegio ſanxit, atq; in omnem poſteritatem obſeruandam mandauit, cuius quidem priuilegij uerba nos operæpretium facturos, ſi hic ſu
» bijceremus, exiſtimauimus: ea uerò ſunt. Et dictæ Congre
» gationis Capitulum generale, ſiue in eo uocem pro tempore
» habentes pro felici ſucceſsu ipſius Congregationis. s. Salua
» toris ſtatuta, Conſtitutiones, & ordinationes, ac omnia,
» et ſingula, quæ in ſpiritualibus, et temporalibus ipſius Con
» gregationis, et eius regularis diſciplinæ ſtatum, obſeruan-
» tiam, indemnitatem, et circa diuini officij celebrationem, di-
» rectionem, et ordinationem (abſq; tamen ipſius Regulæ in
» ſubſtantia, uel in effectu uariatione) interpretationem, uel
» declarationem quoquomodo concernere potuerint, authorita-
» te prædicta inſtituendi, ordinandi, interpretandi, et decla-
» randi: et ea, quæ ſic inſtituta, ordinata, interpretata, uel
» declarata fuerint, in toto, uel in parte, prout rerum, uel
» temporum qualitas exegerit, tollendi, alterandi, modifican-

» di, innouandi, corrigendi; emendandi, ſuſpendendi, et in
» melius commutandi plenam, et liberam in omnibus habeant
» facultatem, ita tamen quòd nullæ ordinationes in uno Ca-
» pitulo generali decretæ ullam uim, et locum habere poſsint
» conſtitutionis, niſi duæ ſaltem ex tribus partibus huiuſmodi
» uocem in ipſo Capitulo habentium concurrerint: & hoc or
» dine fuerint per duo alia immediata Capitula generalia ſe-
» quentia comprobatæ: quæ ſic ut comprobatæ fuerint, cenſe
» antur mox apoſtolico robore communitæ. Hæc igitur præci
pua cauſa fuit, ut in earum conſtitutionum obſeruatione ad quinq; et quadraginta annos Canonici noſtri feliciter conquieuerint, quòd hac recenti ſanctione omnis omnibus adempta fuerit nouandi facultas. Verùm interiecto tempore cum neſcio quæ incidiſsent, quamobrem inter primores Ordinis Patres non ita omnino de rei adminiſtrandæ ratione conueni re uideretur, tametſi id aut parui, aut potius nullius eſset momenti, attamen uir ampliſsimus Alexander Cæſarinus Cardinalis, qui tum Ordinis patrocinium gerebat, rem ſe præclaram facturum ratus, id cum pontifice egit Paulo eius nominis tertio Farneſio romano, quem honoris cauſa nominamus, ut eius decreto quatuor ex primoribus Patribus in magnis comitijs, quæ proximè in monaſterio candianenſi habenda eſsent, electi, ac præterea octo alij ſuo ipſius accitu euocati Romam componendarum rerum cauſa ad ipſum conuenirent anno poſt Seruatorem natum milleſimo quingentesimo quadrageſimo primo, Patre totius Congregationis

primo Angelico bononienſi quartùm , Cenſoribus Honophrio placentino quintùm , Floriano bononienſi quartùm, et Phrydiano ueneto ſecundùm . Cum ijs igitur Cæſarinus ut bono , ac beneuolo animo , certè non iure , multoq; aliter , atq; oportuit , ac rationibus noſtris expediret , negotium illud tractauit , immoderata quadam , ac planè inutili , minimeq; neceſſaria legibus , et conſtitutionibus Ordinis cenſura irrogata . Nam præterquamquòd id contra ternorum comitiorum formulam egit , pleraq; ab re immutauit , multa ſuperuacanea ; alia etiam quæ non minimum Ordini incommodum allatura eſſent , non tam de communi Patrum , quos adhibuerat , quàm de ſua ipſius ſententia adiecit : quæ omnia quamuis iam tum noſtris obſeruanda tradidiſſet , cum tamen præproperè à ſe ob aduerſam ualetudinem , qua interim tenebatur , deliberata , aut potius inchoata intelligeret, in aliud tempus, ubi cōualuiſſet, accuratius recognoſcenda, emendandaq; reiecit : quod feciſſet profectò , niſi optimum prudentis Antiſtitis conſilium mors importuna anteuertiſſet . Siquidem paucis poſt diebus ingraueſcente morbo , anteq̃ affectum illud opus perficeret , ſi non ſibi , nobis certè alieniſſimo tempore extremum ipſe uitæ diem confecit . Nam cum inopinatus eius interitus res noſtras confuſas , ac perturbatas reliquiſſet , Auguſtinus Triuultius Cardinalis , qui eidem in Ordinis noſtri patrocinium ſubrogatus eſt , non ſolum decreta illa cæſarina (reformationes quas appellarunt) ut abrogarentur , adduci non potuit , licet magnis Pa-

trum noſtrorum precibus identidem laceſsitus : uerum etiam breui poſt tempore ipſe quædam multò illis grauiora ; atq; deteriora , et quæ ipſum Canonicæ uitæ ſtatum , naturamq; prorſus euerterent , commentus eſt , eáq; à Pontifice eodem tantæ nouitatis ignaro per eius literas decernenda , et Canonicis noſtris nihil tale cogitantibus derèpente Boloniæ in magnis comitijs obtrudenda curauit : cum tamen neſcio quomodo idem rem iuſtam,et uniuerſæ Congregationi noſtræ gratam , ac ſalutarem ſe facturum putaſset : quod poſteà mutatum egregij Antiſtitis conſilium declarauit . Etenim cum is multas , grauesq; paſsim in uniuerſo Ordine querelas , ac turbas noua eiuſmodi decreta conciuiſse, atq; ideò non paucos Patrum noſtrorum , quorum magna authoritas , et gratia apud uniuerſam Congregationem , ac perſpecta fides eſset, Romam ad pontificem ipſum opis cauſa confugiſse animaduerteret, exemplo Innocentij cōmonitus , alias ab eodem pontifice literas abſtulit , quibus priores illæ abrogarentur , et omnia , quæ in illis iubebantur , irrita prorſus eſse , ac pro nullis haberi , niſi prius ternis magnis comitijs ex uetere Ordinis inſtitutione comprobata , recepta , confirmatáq; fuiſſent , decernerentur , ingenuè in ijs profeſsus , ſe planè nihil eiuſmodi (ſiquam modo eius formulæ , et conſuetudinis anteà notionem habuiſset) attentaturum fuiſse : quod tamen egit conſilio in primis , ac iudicio impulſus Marcelli Creſcentij Cardinalis ampliſsimi , ac ſapientiſsimi uiri , ad quem poſtulantibus Patribus illis à pontifice fuerat ea cauſa delata.

Obijt

Obijt tamen interim primus Ordinis Pater Andreas uenetus, et paulò poſt Triuultius ipſe protector. Cumq; cauſa illa, atq; iudicium in tempore expediri minimè potuiſſet, comitia (quod nunq̃ anteà in Ordine uſu uenerat) in alterum annum ex nouis illis Triuultij decretis dillata ſunt. Porrò hinc factum eſt, ut ſuis legibus, canonicæq; libertati reſtituta ſummam protinus pacem, ac tranquillitatem conſecuta ſit religioſa Reſpub. noſtra. Nam in ijs comitijs, quæ nouiſſimè in monaſterio candianenſi acta ſunt, primùm omnium pontificis literæ, quibus libera, atq; integra (ut antè ſignificauimus) de rebus ſuis Patrum ſenatui committebatur deliberatio, recitatæ, et ab omnibus cum ingenti animorum uoluptate, ac plauſu auſcultatæ ſunt. Deinde primus totius Ordinis Pater deſignatus Angelicus bononienſis quintùm, eiuſq; collegæ Cenſores Honophrius placentinus ſextùm, Leonardus uenetus tertiùm, et Io. Paulus item uenetus primùm facti. Tum uerò inter alia multa, quæ in ijs comitijs præclarè acta ſunt, illud præclariſſimum certè fuit, quod noua illa triuultiana decreta omnia ad unum ſummo, atq; admirabili omnium Patrum conſenſu repudiata, ac reiecta ſunt, ac ſimul etiam cæſarina placita, quibus de ſupra commemorauimus, antiquata, paucis dûtaxat, nec ijs magni admodum momenti, receptis, quæ nimirum Congregationi conducere uiſa ſunt: hoc eſt De diuinis precibus: de cibis, abſtinentia, atq; ieiunijs: de Canonicorum profeſſione: de rebus monaſteriorum, et aliorum regularium lo-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

corum non alienandis: de primi totius Ordinis Patris authoritate: Deniq; de Cenſorum, eiusq;, quem Subſtitutum appellamus, electione: quæ omnia diſtinctius in comitiorum actis perſcripta, ac publicis literarum monimentis per Ioannem Ranſatium à Plebe Sacci ſcribam egregium mandata, necnon infra in conſtitutionum libro ſuo quæq; loco diſpoſita leguntur. Et quanuis ad ea obſeruanda id ſatis eſse uidebatur, quòd cum illa omnia in magnis comitijs non bis iam, ſed ſæpius diſcuſsa, atq; examinata fuiſsent, hæc ſemper approbata, ac recepta fuerant: attamen ad omnem religionis ſcrupulum abijciendum uniuerſi Senatus noſtri decreto Patri totius Congregationis primo, Cenſoribusq;, quos anteà nominauimus, ac unà Procuratori totius Ordinis in Ro. Cu. Iacobo ferrarienſi negotium datum eſt, ut illa quidem Pontificis authoritate approbanda, et confirmanda: quæ uerò reprobata, atq; reiecta fuiſsent, reprobanda, atq; reijcienda curarent. Quocirca illi actutum Romam ad Pontificem ea de re adeuntes, non ſolum confecerunt: uerùm etiam (ut magis, ac magis fidem, charitatemq; ſuam in uniuerſum Ordinem teſtatam relinquerent) illud à Pontifice abſtulerunt, quo nihil certè melius nobis contingere poterat, ut idem omnia priuilegia, immunitates, gratias, et iura, quæ Ordini noſtro iam inde ab eius principio cum alij quam plurimi pontifices maximi, tum uerò magnus ille Iulius contulerant, authoritate ſua in perpetuum confirmarit, redintegraritq;, et ſimul omnes Ordinis conſtitutiones tam quæ an-

teà

teà impreſsioni mandatæ fuerant, quàm quæ ad eas poſteà ritè ternis magnis comitijs uel hactenus acceſsiſsent, uel in poſterum acceſſuræ eſſent, comprobarit: quo inſigni beneficio deuincti homines noſtri, ſanctiſsimi Pontificis memoriam colere debebunt beneuolentia ſempiterna. Id autem actum eſt ſtudio in primis, et opera Marcelli Creſcentij Cardinalis eius, de quo antè etiam mentionem fecimus, cum is nuper in locum Triuultij defuncti familiæ noſtræ protector, pontifice ipſo non probante modo, ſed ſummopere etiam laudante, ſuffectus fuiſſet, uir cum omnis iuris ſcientia eximius, humanitateq́; , uirtute, fide, iuſtitia, et integritate omnibus commendatus: tum uerò de uniuerſo Ordine antè etiam, quàm eius protectionem ſuſcepiſſet (quemadmodum anteà ſignificauimus) ita meritus, ut ab omnibus noſtræ Congregationis hominibus præcipuè ſemper amandus ſit, colendus, ſuſpiciendus. Extant uerò de huiuſmodi confirmatione locupletiſsimæ ipſius pontificis literæ annulo (piſcatorium quem uocant) ad perpetuam memoriam conſignatæ hoc eodem anno, utiq́; octauo et quadrageſimo ſupra milleſimum quingenteſimum à Chriſto nato, quintodecimo calendas ſextileis. Iamuerò Pater idem Ordinis primus, collegæq́; Cenſores (quæ una reliqua erat illis à Patribus in comitijs prouincia delegata) conſtitutiones omnes uel quas anteà impreſſas hactenus præ manibus habuimus, uel quæ ijs poſteà ternis magnis comitijs deinceps additæ, nec minus quæ tum poſtremò ex cæſarinis decretis receptæ fuerant,

cum omnes iam à pontifice (ut diximus) eſsent comprobatæ, antè confuſas, atq; diſperſas in unum collegere, ac ſuo quæq; loco diſponendo, mendaſq;, quibus prior illa impreſſio undiq; librarij incuria plurimùm ſcatebat, tollendo, eas unà cum patris Auguſtini regula, et ea ad emendatiſsimos codices ita caſtigata, ut ne uerbum quidem à uera, germanáq; ſanctiſs. doctoris lectione diſsentiat: necnon rituali libro duobus amplius quàm prius capitibus ob ea, quæ poſteà ritè acceſserunt, diſtincto, ut omnes omnia in promptu ad legendum haberent, ſummo ſtudio, ac fide, incredibiliq; labore imprimendas curauere: quod facilè candidos, ac ſtudioſos fratres noſtros conceſsuros, ſi hanc ipſam editionem cum altera illa priore cōtulerint, arbitramur. Ecce igitur iterùm uobis fratres chariſs. in lucem prodit regulæ, cōſtitutionum, necnon rituum, cerimoniarumq; ueſtrarum liber, quartò ille quidem editus, ſed ſecundò impreſsus, quem profectò ſi accuratius inſpiciamus, ac perpendamus, ita demùm omnia ordinata, temperatáq; intelligemus, ut nihil iam in eo grauius, aut inhumanius, quàm noſtra ferat ætas, et conditio (niſi omni prorſus pietatis ſpiritu careamus) dici: nihil præterea ad uitam religioni, canonicoq; inſtituto congruenter degendam omnino deſyderari poſsè uideatur. Quamobrem has leges noſtras toties anteà à uiris ſanctiſsimis, pontificibus max. certa ratione comprobatas, tanq̃ firma, certáq; imbecillitatis noſtræ adiumenta ex animo ſuſcipiamus, has amplexemur, his paramus, in his gloriemur, il-

ludq;

ludq́; pro certo habeamus, tandiu præclarè nobiſcum actum iri, quoad eas nobis ſanctè ſtatuerimus eſſe obſeruandas: has deniq; ita tueamur, ut nihil unquàm in ijs tollendum, nihil mutandum, nouandumq́; niſi iure, atq; ex ipſo Ordinis inſtituto, ſiquid aliquando pro cõmuni omnium utilitate, commodo, ac dignitate ſtatuendum uidetur, putemus: atq; ita quidem fiet, ut tametſi noui aliquid pro temporum ratione quandoq; conſtituamus, nunquàm tamen à legibus noſtris, priſcáq; uiuendi forma diſcedamus: quæ tam in noſtra, quàm in alia quauis ſeu religioſa, ſeu profana Repub. una eſt (nobis credite) atq; optima amoris, concordiæ, pacisq́; conſeruandæ ratio. Hæc itaq; una ſit cum omnium noſtrum ſtabilis, conſtans, perpetuáq; ſententia: tum ueſtrum maximè, quibus uti ſapientioribus, et Ordinis amantioribus alijs præeſſe, atq; huiuſce religioſæ familiæ gubernacula pro tempore tractare datur. Neq; enim uobis in eo gloriandum eſt, ſi uitæ huius commoditates, fructus, delectationesq; percipiatis: ſi magno apud fratres ueſtros in honore ſitis, atq; in altiore dignitatis gradu collocati: ſi præcipuam in Ordine authoritatem, ac poteſtatem geratis: quæ ſine dubio momentanea, uana, ac fortuita bona, atq; onera potius, quàm munera ſunt: quæq́; ipſi primùm, cum Chriſto nomen ad luſtrales fonteis dedimus, repudiauimus: deinde cum nos religioni, cultuiq́; diuino dedidimus in hoc ſacrum collegium cooptati, rursùm magno, elatóq; animo contempta reliquimus, in paupertate, caſtimonia, obedientiáq;, et ſubiectione uitam pro Chriſti

amore,

amore, ac immortalitatis deſyderio tranſacturi. Sed in eo potius gloriam ueſtram ſtatuite, ſi ueluti præclari paſtores commendati nobis gregis utilitatem ueſtris ipſorum commodis anteponatis: ſi ſubiectorum fratrum recepta humeris ueſtris onera patienter ſuſtineatis: ſi eorum erratis pie indoleatis: ſi non tam ſeuerè pœnas irrogarè peccantibus, quàm aſsiduis precibus, atque lachrymis etiam ueniam à deo æquè omnium iudice exorare ſupplicibus ſtudeatis: ſi denique ad eorum, totiusque Ordinis pacem, tranquillitatem, ſalutemque dies, ac noctes fideliter, atque amanter incumbatis. Hæc nimirum certa bona, hæc immortalia opera, hæc diuina officia ſunt, quæ qui faciunt, eos uera, ac ſolida apud homines gloria, certiſsimaque, & incomparabilis in cælo apud deum optimum maximum manet remuneratio. Longiores aliquantò, quàm proœmio fortaſse conuenire uideretur, fuimus: ſed id tamen haud temerè à nobis factum eſt, nempe quo omnes Congregationis noſtræ ab eius (ut ita dicamus) incunabulis uſque ad noſtra hæc tempora ſucceſsus ſummatim ante oculos fratribus noſtris, quaſi chronicon quoddam proponeremus uno in conſpectu uidendos: quandoquidem illud apprimè in hoc noſtro uitæ genere utile fore exiſtimauimus, ſi nihil rerum noſtrarum, præſertim quæ plus momenti habere uiderentur, à noſtris hominibus ignoraretur. Sed ipſam iam regulam, legesque, ſeu conſtitutiones iubentes, necnon ritualem præcipientem audiamus.

Ne ſolium hoc, quod inane huc ceciderat, amitteremus, errata aliquot librarij, quæ nos ab impreſſione interlegendum deprehendimus, in eo notanda curauimus. Tu igitur ea corriges, ac ſolium poſtmodum recides: redundat enim. Paginas autem numerabis ab ea, unde Regula incipit.

In præfatione.

✠ iiii. pagina prima, uerſu x v. loco proxime repone tertiam: In proœmio ✳✳✳ i, pagina. i i. uer. xx. pro ſecundo repone tertio. In regula, pag. viij. uer. v. ſnnt ſunt. In conſtitutionibus pag. xvij. uer. v. diſpoſitionum diſpoſitionem. Pag. lx. uer. vij. ſui ſuis. Pag. l x i. uer. xviij. profeſſionum profeſſionem. Pag. l x x v. uer. i. ut et. Pag. x c v. uer. v. petpetuò perpetuò. Pag. c x v ij uer. x v ij. Vicarrij Vicarij. In Ordinario pag. c l x v iij. uer. x v i. ſic ſit. Pag. c c x x i i i i. uer. v ſieut ſicut. Pag. c c x x v i. uer. x x v i. omitat omittat. Pag. cc x x v i i. uer. x i. Cloria Gloria. Pag. c c x l. uer. x i. Conſenſione Confeſsione. Pag. c c x l i. uer. x x i i i i. rhuribulum thuribulum. Pag. c c x l v i i. uer. x i i i. finiſtris ſiniſtris.

INCIPT REGVLA BEATI Auguſtini patris noſtri.

Die Dominico.

ANTE omnia fratres chariſſimi diligatur deus, deinde proximus: quia iſta præcepta ſunt principaliter nobis data. Hæc ſunt, quæ, ut obſerue/tis, præcipimus in monaſterio conſtituti. Primùm propter quod eſtis in unum congregati, uti unanimes habitetis in domo, & ſit uobis cor unum, & anima una in deo: & non dicatis aliquid proprium, ſed ſint uobis omnia communia: & diſtribuatur unicuiq; ueſtrum à Præpoſito ueſtro uictus, & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter ualetis omnes: ſed unicuiq;, ſicut opus fuerit: ſic enim legitis in actibus apoſtolorum, quia erant eis omnia communia, & diſtribuebatur ſingulis, prout cuiq; opus erat. Qui aliquid habebant in ſeculo, quando ingreſsi ſunt monaſterium, libenter uelint illud eſſe commune: qui autem non habebant, non ea quærant in monaſterio, quæ nec foris habere potuerunt: ſed tamen eorum infirmitati, quod opus eſt, tribuatur, etiam ſi pauperies eorum, quando foris erant, nec ipſa neceſſaria poterat inuenire: ac non ideò putent ſe eſſe felices, quia inuenerunt uictum, & tegumentum, quale fo

ris inuenire non potuerunt: nec erigant ceruicem,
quia ſociantur eis, ad quos foris accedere non au
debant: ſed ſurſum cor habeant, & terrena bona
non quærant, ne incipiant monaſteria eſſe diuiti/
bus utilia, non pauperibus, ſi diuites illic humi/
liantur, & pauperes illic inflantur. Sed rurſus eti/
am illi, qui aliquid eſſe uidebantur in ſeculo, non
habeant faſtidio fratres ſuos, qui ad illam ſanctam
ſocietatem ex paupertate uenerunt: magis autem
ſtudeant, non de parentum diuitum dignitate, ſed
de pauperum fratrum ſocietate gloriari: nec extol
lantur, ſi communi uitæ de ſuis facultatibus ali/
quid contulerunt: nec de ſuis diuitiis magis ſuper/
biant, quia eas monaſterio partiuntur, quàm ſi eis
in ſeculo fruerentur: alia quippe quæcunq; iniqui/
tas in malis operibus exercetur, ut fiant. ſuperbia
uerò bonis operibus inſidiatur, ut pereant. Et quid
prodeſt diſpergere dando pauperibus, & pauperem
fieri? ſi anima miſera ſuperbior efficiatur contem/
nendo, quàm fuerat poſsidendo? Omnes ergo
unanimiter, & concorditer uiuite, & honorate in
uobis inuicem deum, cuius templa facti eſtis. O/
rationibus inſtate horis, & temporibus conſtitutis.
In oratorio nemo aliquid agat, niſi ad quod eſt fa
ctum, unde & nomen accepit, ut ſi aliqui etiam,
præter conſtitutos, ſi eis uacat, orare uoluerint,
non eis ſint impedimento, qui ibi aliquid agere
uoluerint. Pſalmis, & hymnis cum oratis deum,
hoc uerſetur in corde, quod profertur in uoce: &
nolite

nolite cantare, niſi quod legitis eſſe cantandum: quod autem non ita ſcriptum eſt, ut cantetur, non cantetur.

Feria ſecunda.

CARNEM ueſtram domate ieiuniis, & abſtinentia eſcæ, & potus, quantùm ualetudo permittit: quando autem aliquis non poteſt ieiunare, non tamen extra horam prandii aliquid alimentorum ſumat, niſi cum ægrotat. Cum acceditis ad menſam, donec inde ſurgatis, quod uobis ſecundum conſuetudinem legitur, ſine tumultu, & contentionibus audite: nec ſolæ uobis fauces ſumant cibum, ſed & aures percipiant dei uerbum. Qui infirmi ſunt ex priſtina conſuetudine, ſi aliter tractantur in uictu, non debet aliis moleſtum eſſe, nec iniuſtum uideri, quos fecit alia conſuetudo fortiores: nec illos feliciores putent, quia ſumunt, quod non ſumunt ipſi: ſed ſibi potius gratulentur, quia ualent, quod non ualent illi. Et ſi eis, qui uenerunt ex moribus delicatioribus ad monaſterium, aliquid alimentorum, ueſtimentorum, ſtramentorum, operimentorum datur, quod aliis fortioribus, & ideò felicioribus non datur, cogitare debēt, quibus non datur, quantùm de ſua ſeculari uita illi ad iſtam deſcenderint, quanuis uſq; ad aliorum, qui ſunt corpore fortiores, frugalitatem peruenire nequiuerint: nec illi debent conturbari, quòd eos uident ampli-

us (non quia honorantur, ſed quia tolerantur) accipere, ne cõtingat deteſtanda peruerſitas, ut in monaſterio, ubi quantùm poſſunt, fiunt diuites laborioſi, fiant pauperes delicati. Sanè quemadmodum ægrotantes neceſſe habent minus accipere, ne grauentur: ita poſt ægritudinem ſic tractandi ſunt, ut citius recreentur, etiam ſi de humillima ſæculi paupertate uenerunt, tanquàm hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior conſuetudo: ſed cum uires priſtinas recuperauerint, redeant ad feliciorem conſuetudinem ſuam: quæ famulos dei tantò amplius decet, quantò minus indigent: nec ibi eos teneat uoluntas iam uegetos, quo neceſsitas leuarat infirmos: illi ſe exiſtiment ditiores, qui fuerint in ſuſtinenda parcitate fortiores: melius eſt enim minus egere, quàm plus habere. Non ſit notabilis habitus ueſter, nec affectetis ueſtibus placere, ſed moribus. Quando proceditis, ſimul ambulate: cum ueneritis, quò itis, ſimul ſtate. In inceſſu, in ſtatu, in habitu, in omnibus motibus ueſtris nihil fiat, quod cuiuſquam offendat aſpectum, ſed quod ueſtram deceat ſanctitatem.

Feria tertia.

OCVLI ueſtri, etſi iaciuntur in aliquam fœminam, figantur in nullam: neq; enim quando proceditis, fœminas uidere prohibemini: ſed appetere, aut ab ipſis appeti uelle, criminoſum eſt: nec

ſolo

ſolo tactu, ſed affectu quoq;, & aſpectu appetitur, & appetit uir: nec dicatis uos habere animos pudi/cos, ſi habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius: & cum ſe inui cem ſibi, etiam tacente lingua, conſpectu mutuo corda nuntiant impudica, & ſecundum concupi/ſcentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda uiolatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus: nec putare debet, qui in fœminam figit oculum, & illius in ſeipſum dili/git fixum, non ab aliis uideri, cum hoc facit: ui/detur omnino, & à quibus uideri non arbitratur. Sed ecce lateat, & à nemine hominum uideatur: quid faciet de illo ſuperno inſpectore, quem late/re nihil poteſt? an ideò putandus eſt non uidere, quia tantò uidet patientius, quantò ſapientius? illi ergo timeat uir ſanctus diſplicere, ne uelit fœmi/næ malè placere: illum cogitet omnia uidere, ne uelit fœminam malè uidere: illius namq;, et in hac cauſa, commendandus eſt timor, ubi ſcriptum eſt, Abhominatio eſt Domino defigens oculum. Quando ergo ſimul eſtis in Eccleſia, & ubicunq; fœminæ ſunt, inuicem ueſtram pudicitiam cuſtodi te. Deus enim, qui habitat in uobis, etiam iſto modo uos cuſtodiet ex uobis. Et, ſi hanc, de qua loquor, oculi petulantiam in aliquo ueſtrum aduer tentis, ſtatim admonete, ne cœpta progrediantur, ſed ex proximo corrigantur. Si autem, & poſt ad/monitionem, iterùm, uel alio quocunq; die idip/

ſum eum facere uideritis, iam uelut uulneratum ſanandum prodat, quicunq; inuenire potuit hoc, prius tamen alteri, uel tertio demoſtratum: ut duorum, uel trium poſsit ore conuinci, et competenti ſeueritate coerceri: nec uos iudicetis eſſe maleuolos, quando hoc indicatis: magis quippe innocentes non eſtis, ſi fratres ueſtros, quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus uulnus haberet in corpore, quod uellet occultari, dum timeret ſecari, non'ne crudeliter abs te ſileretur, & miſericorditer indicaretur? Quantò ergo potius eum debes manifeſtare, ne perniciosius putreſcat in corde? Sed antequàm aliis demonſtretur, per quos conuincendus eſt, ſi negauerit, prius Præpoſito debet oſtendi, ſi admonitus neglexerit corrigi: ne fortè poſsit ſecretius correctus innoteſcere cæteris: ſi autem negauerit, tunc neganti adhibendi ſunt alii, ut iam coram omnibus poſsit non ab uno teſte argui, ſed à duobus, tribus'ue conuinci: conuictus uerò ſecundum Præpoſiti, uel etiam Presbyteri, ad cuius diſpenſationem pertinet, arbitrium debet emendatoriam ſuſtinere uindictam: quam ſi ferre recuſauerit, etſi ipſe non abſceſſerit, de ueſtra ſocietate proiiciatur: non enim & hoc fit crudeliter, ſed miſericorditer, ne contagione peſtifera plurimos perdat. Et hoc, quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincendis, uindicandisq; peccatis diligenter, & fidèliter

liter obſeruetur cum dilectione hominum, & odio uitiorum.

Feria quarta.

QVICVNQVE autem in tantum progreſſus fuerit malum, ut occultè ab aliquo literas, uel quodlibet munus accipiat, ſi hoc ultrò cõfitetur, parcatur illi, & oretur ꝑ eo: ſi autem deprehẽditur, atq; conuincitur, ſecũdum arbitrium Præpoſiti, uel Presbyteri grauius emẽdetur. Veſtes ueſtras in uno loco habete ſub uno cuſtode, uel duobus, uel quot ſufficere potuerint ad eas excutiendas, ne à tinea lædantur: & ſicut paſcimini ex uno celario, ſic induamini ex uno ueſtiario: &, ſi fieri poteſt, non ad uos pertineat, quid uobis induendum pro temporis congruentia proferatur: utrùm hoc recipiat unuſquiſq; ueſtrum, quod depoſuerat: an aliud, quod alter habuerat, dum tamen unicuiq;, quod opus eſt non negetur. Si autem hinc inter uos contentiones, & murmura oriuntur, & conqueritur aliquis deterius aliquid ſe accepiſſe, quàm prius habuerat, & indignum ſe, qui non ita ueſtiatur, ſicut alius frater eius ueſtiebatur: hinc uos probate, quantum uobis deſit in illo interiore ſancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen ſi ueſtra toleratur infirmitas, ut hoc recipiatis, quod poſueratis, in uno tamen loco ſub communibus cuſtodibus habete, quod ponitis: ita ſanè, ut nullus ſibi

aliquid operetur, ſiue unde induatur, ſiue ubi ia/
ceat: ſed omnia opera ueſtra in commune fiant ma
iore ſtudio, & frequentiori alacritate, quàm ſi uo/
bis propria faceretis. Charitas enim, de qua ſcri/
ptum eſt, quod non quærit, quæ ſua ſnnt, ſic in/
telligitur, quia communia propriis, non propria com
munibus anteponit. Et ideò quantò amplius rem
communem, quàm propriam curaueritis, tantò am
plius uos profeciſſe noueritis, ut in omnibus, qui/
bus utitur tranſitura neceſsitas, ſupereminеat, quæ
permanet charitas. Conſequens ergo eſt, ut etiam
illud, quod ſuis, uel filiis, uel aliqua neceſsitudi/
ne ad ſe pertinentibus in monaſterio conſtitutis, a/
liquis, uel aliqua cõtulerit, ſiue ueſtem, ſiue quod/
libet aliud inter neceſſaria deputandum, non oc/
cultè accipiatur, ſed ſit in poteſtate Præpoſiti, ut
in commune redactum, cum neceſſarium fuerit,
præbeatur. Quòd ſi aliquis rem ſibi collatam ce/
lauerit, furti iudicio condemnetur.

Feria quinta.

INDVMENTA ueſtra ſecundum
arbitrium Præpoſiti lauentur ſiue à uo
bis, ſiue à fulonibus, ne interiores a/
nimæ ſordes contrahat mundæ ueſtis
nimius appetitus. Lauacrum etiam corporum, cum
infirmitatis cogit neceſsitas, minimè denegetur: fi
at ſine murmure de conſilio medici, ita ut, etiam
ſi nolit, iubente Præpoſito faciat, quod faciendum

eſt pro

eſt pro ſalute: ſi autem uelit, & fortè non expedit, ſuæ cupiditati non obediatur: aliquando enim, e/tiam ſi noceat, prodeſſe creditur, quod delectat. Deniq;, ſi latens eſt dolor in corpore, famulo dei dicenti, quid ſibi doleat, ſine dubitatione credatur: ſed tamen utrùm illi ſanando dolori, quod dele/ctat, expediat, ſi non eſt certum, medicus conſu/latur. Nec eant ad balnea, ſiue quocunq; ire ne/ceſſe fuerit, minus quàm duo, uel tres: nec ille, qui habet aliquò eundi neceſsitatem, cum quibus ipſe uoluerit, ſed cum quibus Præpoſitus iuſſerit, ire debebit. Aegrotãtium cura, ſiue poſt ægritudi nem reficiendorum, ſiue aliqua imbecillitate etiam, ſiue febribus laborãtium, alicui debet iniungi, ut ip ſe de celario petat, quod cuiq; opus eſſe perſpexerit. Siue autem qui celario: ſiue qui ueſtibus, ſiue qui co dicibus præponuntur, ſine murmure ſeruiant fratri/bus ſuis. Codices certa hora ſingulis diebus petan tur: extra horam qui petierint, non accipiant. Ve ſtimenta uerò, & calceamenta, quando fuerint indi genti neceſſaria, dare non differant, ſub quorum cuſtodia ſunt, quæ poſcuntur. Lites aut nullas ha/beatis, aut quam celerrime finiatis, ne ira creſcat in odium, & trabem faciat de feſtuca, & animam fa ciat homicidam: ſic enim legitis, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Quicunq; conuitio, uel ma ledicto, uel etiam criminis obiectu alterum læſerit, meminerit ſatisfactione quantò ocyus curare quod fecit: & ille, qui læſus eſt, ſine diſceptatione di/

mittere. Si autem inuicem ſe læſerunt, inuicem ſibi debita relaxare debebũt propter orõnes ueſtras, quas utiqꝫ quantò crebriores habetis, tantò ſanctiores habere debetis. Melior eſt autem qui, quanuis ira ſæpe tentatur, tamen impetrare feſtinat, ut ſibi dimittat, cui ſe feciſſe agnoſcit iniuriam, quàm qui tardius iraſcitur, & ad ueniam petendam difficilius inclinatur. Qui non uult dimittere fratri, non ſperet accipere orationis effectum: qui autem nunquàm uult petere ueniam, aut non ex animo petit, ſine cauſa eſt in monaſterio, etiam ſi non inde proiiciatur. Proinde uobis à uerbis durioribus parcite, quæ ſi emiſſa fuerint de ore ueſtro, non pigeat ex ipſo ore proferre medicamenta, ex quo facta ſunt uulnera.

Feria ſexta.

QVANDO autem neceſsitas diſciplinæ Minoribus coercendis dicere uos uerba dura compellit, ſi etiam in ipſis modum uos exceſsiſſe ſentitis, non à uobis exigitur, ut ab eis ueniam poſtuletis, ne apud eos, quos oportet eſſe ſubiectos, dum nimia ſeruatur humilitas, regendi frangatur authoritas. Sed tamen petenda eſt uenia ab omnium domino, qui nouit etiam eos, quos plus iuſto fortè corripitis, quanta beneuolentia diligatis: non autem carnalis, ſed ſpiritualis inter uos debet eſſe dilectio. Præpoſito tanquàm patri obediatur, multò magis

tò magis Presbytero, qui omnium ueſtrum curam gerit. Vt ergo cuncta iſta ſeruentur, & ſi quid ſeruatum non fuerit, non negligenter prætereatur, ſed emendandum, corrigẽdum'q; curetur, ad Præpoſitum præcipuè pertinet: ita ut ad Presbyterum, qui uobis intendit, referat, quod modum, uel uires eius excedit. Ipſe uerò non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiente felicem: honore coram hominibus prælatus ſit uobis, coram deo ſubſtratus ſit pedibus ueſtris: circa omnes ſeipſum bonorum operum præbeat exemplum, corripiat inquietos, conſoletur puſillanimes, ſuſcipiat infirmos, patiens ſit ad omnes, diſciplinam libens habeat, metuens imponat: & quanuis utrunq; ſit neceſſarium, tamen plus à uobis amari appetat, quàm timeri, ſemper cogitans deo ſe pro uobis redditurum eſſe rationem: unde magis obediendo non ſolum ueſtri, ſed etiam ipſius miſeremini, qui inter uos quantò in loco ſuperiore, tantò in periculo maiori uerſatur. Donet Dominus, ut obſeruetis hæc omnia cum dilectione, tanquam ſpiritualis pulchritudinis amatores, & bono Chriſti odore de bona conuerſatione fragrantes, non ſicut ſerui ſub lege, ſed ſicut liberi ſub gratia conſtituti. Vt autem in hoc libello, tanquàm in ſpeculo uos poſsitis inſpicere, ne per obliuionem aliquid negligatis, ſemel in ſeptimana uobis legatur: & ubi uos inueneritis ea, quæ ſcripta ſunt, facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori: ubi autem ſibi quicunq; ue

ſtrum uidet aliquid deeſſe, doleat de præterito, caueat de futuro, orans, ut & debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur.

Explicit regula beati Auguſtini patris noſtri.

INCIPIVNT CONSTITVTIONES
CANONICORVM REGVLARIVM
Congregationis . s . Saluatoris Ordinis . s . Auguſtini .

De Officio Eccleſiæ . Capitulum primum .

EXPOSITVRIS nobis Fratres chariſsimi uiris, qui ſpirituales ex ſua profeſſione, & nominis appellatione cenſentur, modum, & formam in ſacra religione uiuendi, non aliunde congruentius ſermonis noſtri exordium, harumq́ Cõſtitutionum principium ſumere uiſum eſt, quàm à Dei laudibus, canonicaq́ diuini officii forma. Nullum enim tam gratum deo ſeruitium præſtari poteſt, quàm ſacrificium laudis, dicente Pſalmiſta, Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare dei. Totum igitur officium diurnum pariter, & nocturnum ſecundum morem, & conſuetudinem Romanæ Curiæ in Eccleſia cãtando, uel legẽdo pro tempore deuotè, & maturè dicatur à Canonicis noſtris ſimul congregatis, qui commodè intereſſe poterũt, nullo ſine expreſſa licentia à ſuo Superiore ſpeciali, ſiue generali obtenta, remanente: obſeruandoq́ (quantum cooperante dei gratia fieri

poterit) ſecũdum doctrinam beati Auguſtini patris noſtri, ut, quod profertur in uoce, in corde uerſetur. Quapropter omnes Canonici noſtri matura cum feſtinatione poſt primum ſignum, quod fit diebus ferialibus, & feſtis non duplicibus: in duplicibus uerò poſt ſecundum uenire ad Officium in Eccleſiam non differant, ut interim ad diuinas laudes ſe ualeãt deuotius præparare. Ideò quicũq; in choro non fuerit, antequàm in principio omnium horarum canonicarum dictum ſit Alleluia, uel pro tempore Laus tibi Domine rex æternæ gloriæ, uel quando iis in principio Officii non utitur Eccleſia, ante inchoationem primi pſalmi, ſtet inclinatus ante altare manibus ſup genibus poſitis, uſque ad ſignum Maioris in choro reſidentis: quæ inclinationis forma ſemper, & ubiq;, præterquàm in itinere, quando officium in communi dicitur, uniformiter ab omnibus obſeruetur in iis, in quibus uidelicet ſecundum Ordinarium noſtrum è regione ſe conuertere Canonici noſtri debent, qui etiam caueant, ne ex leui cauſa ab Officio recedant: ſi tamen cauſa urgente, aliquem è choro exire oportuerit, ad altare maius accedat, exhibitaq; reuerẽtia, uertens ſe è regione inclinatus ſignum Prælati, ſeu Præſidentis reuerenter expectet. Proſtrationes, ſimiliter genuflexiones, & inclinationes integrè obſeruentur in choro, tam in Miſſa, quàm in Officio, ꝑ ut in Ordinario noſtro cõtinetur, ſic uniformiter ab omnibus, ut ſicut corde, & habitu debent eſſe ſimiles, ita & in iis prorſus appareant eſſe conformes.

In

In feſtiuitatibus autem celebrandis, quantùm ad numerum, & ad ſolennitatem, ac etiam officium ipſorum feſtorum, ſeruetur modus, & ordo, q̃ eſt in Ordinario noſtro præſcriptus, & in Calendario (quod ante principium huius libri cõſtitutionum ſemper habeatur) atq; etiam in fine Breuiarii in iis, quæ Ordinis noſtri propria ſunt, annotatus. Declaramus tamen, ac uolumus, ut ubiq; locoꝝ per uniuerſam Congregationem noſtram fiat officium omnium eorum ſanctorum, ſub quorum nomine conſecratas Monaſteriorum noſtrorum Eccleſias aut iam habemus, aut in poſterum habebimus, eo ipſo die, quo feſta eorum inciderint, uerbi gratia. s. Danielis. s. Fuſcæ. ss. Secũdi, Secundini, & Agapiti. s. Paterniani. s. Rufini. s. Agnelli, & aliorum huiuſmodi. Vbiq; etiam à noſtris Canonicis celebretur Octaua Tranſfigurationis Domini, ſicut Octaua Aſcenſionis eiuſdem, ita ut quotidie intra Octauam Officium ſanctorum occurrentium cum commemoratione Octauæ, die uerò Octauæ Officium fiat Transfigurationis ſub ſemiduplici maiore, & interim Officium beatæ Virginis in choro ſemper dicatur, ſine ſuffragiis tamen, & precibus quotidianis. Excipiantur nihilo minus Monaſteria, quæ titulo eiuſdem Transfigurationis nuncupatas habent Eccleſias, in quibus quotidie, beatæ Virginis Officio prætermiſſo, Officium Transfigurationis ſub ſemiduplici maiore fieri, & diem Octauæ ſub duplici maiore celebrari uolumus. Dominica uerò intra Octauam fiat ubiq; ab omnibus

Officium Transfigurationis cum commemoratione Dominicæ, niſi fortè omnes Auguſti dominicas impediri contigerit: tunc enim neceſſariò fiat Officium Dominicæ cum commemoratione Octauæ, etiam in Eccleſiis, quæ Transfigurationis uocabulo nũcupantur, prætermiſſo in his duntaxat (ut dictum eſt) Officio beatæ Virginis, & omnes Salomonis libri ponantur. Porrò Octaua. s. Auguſtini Patris noſtri fiat ubiq; ſolennis: ſi qui tamen commoditatis cauſa in Dominica intra Octauam Officium Dominicæ agere, & hiſtoriam Iob ponere uolent, ii, quemadmodum ſupra de Dominica intra Octauam Transfigurationis decretum eſt, faciant licebit. Cæterum quotidie per totam Octauam, nec non in Conuerſione, & in utraq; Tranſlatione eiuſdem Officium in Eccleſiis noſtris ubiq; è communi confeſſoris pontificis celebretur, exceptis Lectionibus, Antiphonis ad Magnificat, & ad Benedictus, Capitulis, Hymnis, & Orationibus, quæ omnia è proprio diei feſti dicenda ſunt. Feſta inſuper, quæ in quibuſdam ciuitatibus, & locis ſolennia habentur, ab illis ſolummodo Canonicis noſtris celebrari debent, qui in huiuſmodi ciuitatibus, & locis præſentes commorantur. Nullus igitur Canonicorum noſtrorum, cuiuſcunq; gradus, uel conditionis exiſtat, præter huiuſmodi annotata, de aliquo alio feſto officium facere, ſeu celebrare præſumat. Inſuper de feſtis ſimplicibus uolumus, ut eorum officium ſemper fiat eo die, quo cadunt, impedimẽto ceſſante; his uerò diebus, qui-

bus nullum feſtum occurrit, Officium fiat eorum Sanctorum, qui antè dimiſsi fuerant. De Horis uerò quod ad tempus attinet, ideſt quando Matutinum, & cæteræ Horæ dicēdæ ſunt, teneatur ille modus, & ordo, qui ſecūdum diſpoſitionum locorum, & Canonicorum ibidem degētium utilitatem à quolibet Prælato in ſuo Cōuentu fuerit ordinatus: hoc addito, ut in iis Monaſteriis, ubi aſsignati fuerint ad habitandum pluſquam duodecim Canonici, ſeu Clerici, ibi ſingulis diebus Miſſa in choro cātetur, legitimo tamen ceſſante impedimento: utq; in omnibus Miſsis uotiuis à Paſcha uſq; ad Penthecoſten dicatur Gloria in excelſis, & ite Miſſa eſt: quod etiam per totum annum dicere in Miſſa Spirituſſancti iuxta priuilegium Xyſti quarti Papæ licebit. Nulli autem Canonicorum noſtrorum extra loca, & Eccleſias noſtras ad funera, aut feſtiuitates, ſeu officia aliorum celebranda ullo modo uadant. Concedimus tamen ad communem charitatem conſeruandam, ut accedere poſsint ad ſolennitates, & funera illorum religioſorum, qui ad ſolennitatum noſtrarum officia, & funera aliquando & ipſi ueniunt: quin etiam ad ſolennitates Societatum quorundam deuotorum ſecularium inuitati accedere, & cum iiſdem refectionem ſumere iuxta diſcretionem Prælati, cum conſilio Diſcretorum poſsint. Cōuerſorum prætereà, & Commiſſorum officium hoc erit, uidelicet pro Matutinis triginta Pater noſter cum totidem Aue Maria, pro Veſperis quindecim, pro qua/

libet aliarum quinq; horarum canonicarum ſeptem,
pro benedictione menſæ unum, poſt comeſtionem
pro gratiis tria dicere. Concedimus inſuper Cano
nicis noſtris, ut ire poſsint ad funera parochianu
rum noſtrorum duntaxat, maximè in illis locis, in
quibus talis cõſuetudo iam inoleuit, & hoc cum in ſe
pulturis, aut Cœmiteriis noſtris ſepeliuntur: quandò
uerò ad aliorum Eccleſias, aut Cœmiteria efferũtur,
tunc ad illa eundi omnem prorſus ipſis adimimus fa
cultatem. Prouideant autem omnes Prælati monaſte
riorum noſtrorum, quibus cura imminet animarum,
per presbyteros, & capellanos ſeculares huiuſmodi
curam exercendam, quantùm ipſorum monaſterio
rum facultas ſubminiſtrat, ne Canonici talibus curis
fatigati ſacras obſeruantias relaxare cogantur.

De *confeſsione fratrum, et ſacra communione*. Cap. II.

DIXI (ait Pſalmiſta) confitebor aduer
ſum me iniuſtitiam meam Domino,
& tu remiſiſti impietatem peccati mei.
Propterea omnes fratres noſtri tam Ca
nonici, ſiue Clerici, quàm Laici ſtudeant ſemel ſal
tem in qualibet hebdomada ſacramentaliter ſuis Præ
latis confiteri: ſacerdotes uerò ſæpius, prout celebra
tiones Miſſarum, ad quas frequenter accedunt, req
runt. Nullus autem Canonicorum nẽq; tam in mo
naſterio, quàm extra abſq; ſuorum licentia Præla
torum Canonicorum, ac fratrum ſuorum cõfeſsiones
audire:

audire, aut è contrario alteri cuilibet ipſe confiteri ullo modo præſumat. Si cui tamen huiuſmodi confeſsiones aliqua ex cauſa audire à ſuo Prælato conceditur, tanta in ipſis confeſsionibus authoritate utatur, quantam ei Prælatus conceſſerit. Quoniam uerò ſecularium confeſsiones ſæpenumero audire compellimur, iccircò omnes Prælati annuatim cum conſilio diſcretorum Canonicorum tempore congruo in ſuo quiſq; Conuentu eligant, atq; ordinent, qui huiuſmodi confeſsiones audire debeant, ac præter deputatos huiuſmodi nullus omnino confeſsiones audire præſumat. Hortamur ergo Prælatos omneis in Domino, ut eos inſtituant, & præponāt, quos peritiores, ac magis idoneos eſſe cognouerint. Studeant inſuper iidem Prælati loca honeſta, & condecentia, atq; à Canonicorum conuerſatione (quantum poſsibilitas ſubminiſtrat) remota ipſis confeſſoribus deputare, ut & honeſtati, ac ſaluti, & Canonicorum quieti poſsit eſſe conſultum. Curam autem Monialium, uel Congregationes quarumcunq; mulierum à Canonicis noſtris ſuſcipi, aut ullam cum iis omnino conſuetudinem haberi, aut etiam earum confeſsiones audiri nullo modo uolumus, iis exceptis, quæ iampridem in Ordinem receptæ ſunt: neque aliquarum aliarum, cuiuſcunq; ſtatus, uel conditionis exiſtant, parochianis duntaxat exceptis, quas tamen nemini audire licebit, niſi quem Prior generalis unà cum Viſitatoribus ad hoc ordinauerit: ad quarum etiam Monialium loca, ſiue habitationes,

nullus fratrum noſtrorum ſine ſuorum licentia Præ
latorum , & ſine magna neceſsitate ,quàm ſuo quiſ/
que Prælato , quoties ire oportuerit , declarare tenea
tur , accedat . Prælati uerò , ſiue Præſidẽtes ſine ſcien
tia Vicarii , aut antiquioris Canonici Conuentus ac/
cedere non præſumant . Siquis autem Canonicorum
noſtrorum de cætero quarũcunq; Monialium curam
accipere , aut earum confeſsiones etiam per quantu/
luncũq; tempus audire præſumpſerit , illicò uoce acti
ua , & paſsiua priuatus intelligatur . Prouideant inſu
per locorum noſtrorum Prælati , ſeu Præſidentes ,
ut quotidie omnes Miſſam uel celebrent , uel audi/
ant : caueantq́; diligenter , nequis abſq; magna neceſ
ſitate , aut legitimo impedimento , ſine Miſſæ audi/
tione diem pertranſeat . Ad noſtrorum autem fra/
trum conſeruandam , atq; augendam deuotionem or
dinamus , ut infraſcriptis diebus in omnibus Cõuen
tibus noſtris generalis communio fiat , ideſt prima do
minica Aduentus , in Natiuitate Domini , in Epipha
nia , in Purificatione , in prima , & in tertia , ſeu quar
ta dominica Quadrageſimæ , in feſto Annuntiatio/
nis uirginis Mariæ , in Cœna Domini , in Paſcha re
ſurrectionis , in dominica tertia poſt Paſcha , in A/
ſcenſione Domini , in feſto Pentecoſtes , Corporiſ/
chriſti . ss . apoſtoloꝝ Petri , & Pauli . s . Iacobi apo
ſtoli , Aſſumptionis beatæ Virginis . s . Auguſtini
patris noſtri , Natiuitatis beatæ Mariæ uirginis . s .
Michaelis archangeli . s . Lucæ euangeliſtæ , & Om
niumſanctorum . Die autem proximè præcedenti di/
ctas

ctas communiones Prælati, ſeu Præſidentes in Capi
tulo omneis admoneant, ut ad puram, integramq́;
confeſsionem, ac ſanctiſsimi Sacramenti ſuſceptio/
nem unuſquiſq; humiliter, & deuotè ſe debeat præ/
parare: in quibus etiam communionibus die (ut di
ctum eſt) præcedenti fratres ſemel tantùm refician/
tur, cibis pro tempore ipſis conceſsis utentes. Sin/
autem acciderit aliquam prædictarum ſolennitatum
feria ſecunda celebrari, tunc Dominica proximè
præcedenti (niſi feria illa ſecunda dies Natiuitatis
Domini fuerit) huiuſmodi communio fiat.

De ſuffragijs mortuorum. Cap. III.

SANCTA, & ſalubris eſt cogitatio pro
defunctis exorare, ut à peccatis ſoluan/
tur. Ideò dignum duximus ordinare,
ut à feſto Omniumſanctorum uſq; ad
feſtum Natiuitatis Domini, pro fratribus, & bene/
factoribus Ordinis noſtri quilibet ſacerdos tres Miſ
ſas, Canonici, ſeu clerici non ſacerdotes unum pſal/
terium, Conuerſi uerò, & Commiſsi tercentum Pa
ter noſter cum totidem Aue Maria dicant. Idem fa
ciat quilibet pro defuncto fratre ſui Conuentus.
Idem etiam fiat per totum Ordinem pro Priore ge/
nerali Ordinis, ſi in ipſo generali Prioratu eum mo/
ri contigerit. Volumus autem, ut omnes Canonici
noſtri ſacerdotes unam ſaltem Miſſam celebrare de/
beant pro fratribus noſtris defunctis aliorum Con/

uentuum: Canonici non ſacerdotes totum officium mortuorum ſemel perſoluere: Cōuerſi uerò, & Commiſsi quinquaginta Pater noſter, & totidem Aue Maria dicere teneantur. Ordinamus inſuper pro anima cuiuſcunq; defuncti fratris noſtri, ut in eo Cōuentu, ubi mori eum contigerit, incipiendo ab ipſo die obitus ſui, uel à ſequenti, uſq; ad trigeſimum quotidie celebretur una Miſſa: utq; erogetur pauperibus ciborum portio ſolita illi quondam uiuenti in refectorio præparari, uel æquiualens, una erogatione, uel pluribus, prout Prælato magis expediens eſſe uidebitur. Anniuerſarium patrum, & matrum fratrum noſtrorum in craſtino Conuerſionis. s. Pauli fiat ubiq; locorum noſtrorum: Anniuerſarium autem fratrum, propinquorum, & benefactorum Ordinis noſtri in craſtino Octauæ. s. Auguſtini: & dicatur totum Officium mortuorum die proximè præcedenti. Conuerſi uerò, & Commiſsi in utroq; prædictorum Anniuerſariorum quinquaginta Pater noſter cum totidem Aue Maria dicant. Vt autem benefactorum Ordinis noſtri iugis habeatur memoria, ordinamus, ut in quolibet Sacrario monaſteriorum noſtrorum tabula una inſtar Calēdarii deputetur, in qua omnes benefactores, ut ſunt ſummi Pontifices, Cardinales, Epiſcopi, cæteriq; Prælati, necnon Principes, & Nobiles, aliiq;, cuiuſcunq; conditionis exiſtant, qui Congregationi noſtræ in genere, aut alicui Conuentui in ſpecie aliquid uel in uita, uel in morte contulerint, ſuis id eſt obitus ipſorum diebus an-

notentur,

notentur, ut eorum Anniuerſaria ſuo tempore celebrentur: in qua quidem tabula nullus generaliter in omnibus locis ſcribatur, niſi ex mãdato Capituli generalis, nec particulariter in aliquo Cõuentu, niſi ex conſenſu duarum partium ex tribus Capituli conuentualis cum cõfirmatione Prioris generalis, & duorum ſaltem Viſitatorum. Ac ultra prædicta omnes Prælati in ſuo quiſq; Conuentu ordinent ſuis hoſtiariis certam portionem panis, & uini, uel huiuſmodi edulium, quam quotidiè pauperibus eleemoſynam petentibus erogare teneantur: quæ eleemoſynarum diſtributio ſine magna neceſsitate, & ſine cõſenſu maioris partis Canonicorum fratrum mutari non poſsit.

De modo, & ordine legendi Regulam, et Conſtitutiones. Cap. IIII.

NE AVTEM per obliuionem aliquid negligatis (ait de Regula beatus pater noſter Auguſtinus) ſemel in Septimana uobis legatur. Quare, ut in ipſa (quemadmodum idem pater dicit) tanquàm in ſpeculo nos ipſos ualeamus inſpicere, ſtatuimus, ut ſingulis diebus à feſto Reſurrectionis uſq; ad exaltationem. s. Crucis poſt Veſperas lectio una eiuſdem Regulæ in communi recitetur: ab exaltatione uerò huiuſmodi uſq; ad Reſurrectionem idem fiat poſt Matutinum, ità per ordinem, ut ſemel in hebdomada iuxta eiuſdem patris præceptum Regula ipſa tota

perlegatur. Sabbato autem iiſdem temporibus, &
horis ex Ordinario Eccleſiæ lectio una legatur ad nu
tum Prælati, uel Præſidentis terminanda: qua lectio/
ne recitata, Canonici noſtri in communi uacent pri
uatæ, & mentali orationi ſaltem per ſpatium dimi/
diæ horæ, à qua orone nullus recedat ante ſignum
datum, aut abſq; licentia Prælati. Ad mẽſam quoq;
quolibet Sabbato in prandio, & cœna loco ſpiritua/
lium librorum ex his Conſtitutionibus lectio una,
uel plures legãtur, ut omnes intelligere ualeant quid
ſeruandum, quid'ue uitãdum ſit. Addimus etiam ſta
tuentes, ut in ſingulis Conuentibus liber habeatur,
in quo annuatim annotentur extraordinariæ Conſti
tutiones, quæ uidelicet ritè per tria capitula gene/
ralia immediatè celebrata receptæ, approbatæ, & con
firmatæ fuerint: atq; ex eo in communi ſemel ſal
tem in menſe legatur, ut ne ea, quæ in Congrega
tione ſalubriter inſtituta, atque ordinata ſunt, per
ignorantiam, aut obliuionem, aut etiam negligen/
tiam prætereantur. Poſt prandium uerò quotidie in
mane qui legere habent in Eccleſia, uel refectorio,
prouiſuri ſuas lectiones ad locum, & magiſtrum ad
hoc præordinatos ſine ullà dillatione uadant: ita ut,
qui docendi ſunt, nunquàm neq; ipſi dum à magi
ſtris uocentur expectent, neque ut ſe magiſtri mo/
rentur committant: caueantq; ſemper, & ubiq; tam
docturi, quàm docendi ab omni uerbo, & ſermo/
ne ad rem non pertinente, quod etiam obſeruari uo/
lumus ab iis, qui ad cantum uel diſcẽdum, uel do/

cendum

cendum deputati ſunt. Et ut melius unuſquiſq;,
quod legit, intelligat, intellectáq; opere complere
ualeat: ne'ue (quod abſit) alicui propheticum illud
eueniat Quia tu repuliſti à te ſcientiam, ego te re
pellam, ne ſacerdotio fungaris mihi: dignum duxi/
mus ſtatuendum, ut per Prælatos diligentia, & cura
adhibeatur, quatenus in ſingulis Conuentibus magi/
ſtri deputentur, uel conducantur pro Canonicis li/
teras neſcientibus, qui eos grammaticam, rhetori/
cam, logicam, & philoſophiam, cæteras'que artes li
berales præambulas ad ſacram theologiam, ipſam'q;
theologiam, & huiuſmodi doceant, ac in iure cano
nico iiſdem aliquid exponāt, præſertim circa caſus
confeſsionum, & cætera magis utiliora abſq; ſuper/
fluitatibus, ne (quēadmodum Seruator noſter ait)
ſi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foueam ca
dant. Quæ ſanè ſtudia, ut commodius, ac felicio
re in dies ſucceſſu in Ordine noſtro colantur, uolu
mus etiam, ut omnes Prælati in omnibus Monaſte/
riis noſtris, pro ſui quiſq; Conuentus facultatibus,
bibliothecas erigant, & libris inſtruāt, ut ſcilicet Ca
nonici noſtri commodè operam literis dare (ut di/
ctum eſt) poſsint, & ſecum libros (quemadmodum
multi faciunt, ubi Conuentus mutant) non deferāt.
Conuerſi autem, & Commiſsi, qui legere neſciunt,
nullo modo diſcere permittantur: qui autem lege/
re ſciunt, poſsint ipſi per ſe lectionem ſpiritualem in
uulgari ſibi legere, ſed non aliis ſine licentia: quod
ſi Prælati in his negligentes inuēti fuerint, aut ſub/

diti id facere neglexerint, per generalem Priorem, & Viſitatores corrigantur.

De refectione, ieiunijs, & abſtinentia. Cap. V.

CARO enim (ut ait diuinus Paulus) concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem. Sed ne concupiſcentia carnis aduerſus ſpiritum præualere poſsit, ſancti Patres ieiunia inſtituerunt, quibus ſpirituales uiri eandem cōcupiſcentiam carnis edomare ualerent: quando enim caro domatur & ſpiritus roboratur, & uitia carnis extinguūtur. Propterea à feſto quidem Reſurrectionis Domini uſq; ad feſtum Exaltationis. s. Crucis quotidie bis fratres reficiantur, exceptis omnibus ſextis feriis, in quibus à Reſurrectione quidem uſq; ad Pentecoſtē in ſero pro refectione fratribus detur panis tātummodo, & acetarium, & aliquantum fructuum, quos tempus præſens ſubminiſtrat: à Pentecoſte autem uſq; ad feſtum ipſum. s. Crucis prædictum ieiunent fratres, quibus parum panis, nec aliud pro collatione præbeatur. Porrò ab eodem feſto. s. Crucis uſq; ad Aduentum, & à feſto Natiuitatis Domini, uſq; ad feriam quartam cinerum bis etiam quotidie fratres reficiantur, exceptis omnibus ſecundis, & quartis, & ſextis feriis, & ſabbatis, in quibus ſecūdis uidelicet, & quartis feriis quarta pars panis tantummodo pro collatione ueſpertina paretur, Sabbato autem

tem propter multa domeſtica exercitia, uarioſq; fra
trum labores panis, acetarium, & caſeus præbeatur:
ſexta uerò feria ieiunetur, ita ut nihil præter potum,
ac parum fructuum pro tempore in ſero detur. Bis
quoq; temporibus antedictis, omnibus diebus fe/
ſtis ab Eccleſia præceptis, diebuſq;, quibus in Con/
uentu generalis communio fit, nec non præcipuis,
ac ſolennibus locorum feſtis, etiam ſi in ſabbatum,
aut in ſecundam, ſeu quartam, aut etiam in ſex/
tam feriam inciderint: item ultima hebdomada an/
te Aduentum, & altera hebdomada ante domini/
cam Quinquageſimæ bis fratres noſtri reficiantur.
Inſuper & temporum conditione, & infirmitatis hu
manæ ratione moti concedimus, ut diebus domini/
cis, Martis, ac Iouis carnibus quorumuis animalium
in prandio ueſci fratribus noſtris liceat, atq; etiam
in cœna iis diebus, quibus per Prælatum in commu
ni diſpēſatio fiet. Aliis uerò temporibus ſimpliciter
à carnibus huiuſmodi, ſanguine, & inteſtinis anima/
lium quoquo modo coctis fratres noſtri abſtineant,
exceptis infirmis, & notabiliter debilibus, atq; iter
agentibus, quibus quidem dormire, & quibuſlibet
cibis, etiam carnibus ueſci tam domi, quàm foris li
cebit, prout, & quoties ipſis paratum fuerit, ne ho/
ſpites moleſtentur. Neq; uerò iidem ad ieiunia ab
Eccleſia non præcepta, præterquàm in Aduentu Do
mini, teneantur. Poterunt tamen ſemper fratres no/
ſtri comedere pulmentaria pinguedine carnium, ac
iure condita, iis uidelicet diebus, quibus ſecundum

ritum Ecccleſiæ, & patriæ cōſuetudinem ſecularibus hominibus ueſci carnibus licet. Atq; à feſto q̄dem .s. Crucis prædictæ uſq; ad feriam quartam Cinerꝶ, ſiue ad refectionem, ſiue ad collationem ſemper prima noctis hora, reliquo autem anni tēpore poſt Completorium pulſetur: & fratribus more ſolito in refectorio cōgregatis, ſi dies cœnæ, aut refectionis erit, fiat bn̄dictio mēſæ iuxta morem Eccleſiæ, ut in Breuiario cōtinetur: ſin autem dies abſtinētiæ, reſidētibus ad ſignum Prælati, uel Præſidentis ad menſam fratribus, lector legere incipiat è Bibliis, ut moris eſt: & facto rursùm ſigno à Prælato, dictóq; à lectore Benedicite, Prælatus benedictionem pronuntiet dicens Largitor omnium bonorum benedicat collationem ſeruorum ſuorum in nomine Patris, & Filii, & Spirituſſancti, ac ſignum crucis ✠ ſupra mēſam producat, & cæteri reſpondeant Amén: poſt quam benedictionem bibere, & comedere, quæ appoſita fuerint, poterunt, qui uolent. Collatione uerò peracta, & ſigno à Prælato etiam facto, omnes ſilentiò à menſa conſurgant: deinde ipſe Prælatus dicat Fidelium animæ per miſericordiam dei requieſcant in pace, & cæteri reſpondeant Amén: tum dicto à fratribus ſemel Pater noſter cum Aue Maria, ſtatim ad ſilentium pulſetur. Ordo autem huiuſmodi, & forma ita inuiolabiliter ſeruetur, ut Canonici noſtri ſemper una, & eadem hora eant dormitum, ut una etiam, atq; eadem hora cōgrua, & conſueta ad Matutinum cōſurgere poſſint, exceptis diebus, quibus

per

per Prælatum communis in Cōuentu diſpēſatio fiet,
quæ uidelicet minimè fieri, niſi ſemel tantùm, uel
bis ad ſūmum in menſe poſsit. Verùm fratres no/
ſtri ieiunare teneantur toto tempore Aduentus Do
mini, totaq́; Quadrageſima, ieiuniis quoq; Quatu
or temporum, & uigilia Pentecoſtès, ac omnibus a/
liis uigiliis, quæ ſunt de præcepto Eccleſiæ, nec nón
uigilia ſolennitatis Corporiſchriſti, beati Auguſtini
patris noſtri, Natiuitatis beatæ Virginis, & Dedica/
tionis Eccleſiæ. D. Saluatoris, quæ eſt de mēſe No
uembri, & omnibus ſextis feriis, exceptis ſolēnitati
bus ſupradictis: item feria ſexta in Paraſceuè, quo die
fratres omnes ſecundum cōſuetudinem pane, & aqua
ieiunare teneantur, licet Prælatus cum aliquibus ma
nifeſtè debilibus aliqua ex parte diſpenſare poſsit,
quod tamen de facili agere non præſumat. Ac præ/
ter ſupra dicta ieiunia, ſeu alio quoquo modo obli/
gatoria, pro plenaria indulgentia in mortis articu/
lo omnibus noſtri Ordinis hominibus conceſſa, ſex
aliis diebus à Sede apoſtolica iniunctis fratres noſtri
ieiunent, quæ ieiunia fieri ab Epiphania uſq; ad do
minicam Sexageſimæ ordinamus: quibus diebus & ſi
illi ieiunare non tenentur, qui ſemel ſeptem pſalmos
pœnitentiales, aut (ſi Commiſsi, uel Conuerſi, uel
aliæ Congregationis noſtræ perſonæ utriuſq; ſexus
erūt legere neſciētes) quinquagies Orationem dñi/
cam, & totidem Salutationes angelicas beatæ Virgi/
nis ſingulis hebdomadibus ꝑ integrum annum; aut
aliter quinquagies ipſos ſeptem pſalmos pœnitentia/

les coniunctim, uel diuiſim dixerint, prout ab eadem Sede nobis conceſſum eſt: æquè tamen ab omnibus fratribus noſtris in monaſteriis degentibus, ut conformes omnes etiam in uictu appareant, ieiunari uolumus, exceptis ſimiliter ſenibus, manifeſtè debilibus, atq; aduenis. In his autem omnibus ieiuniis antè dictis quadrageſimali utentes cibo, ab ouis, & ab omnibus lacticiniis ſimpliciter abſtineant (niſi in ipſis ſextis feriis aliquando modo præmiſſo diſpenſetur) fratres noſtri, & ad collationem nihil omnino, præter potum, & aliquãtum fructuum, qui pro tempore habentur, ſecundum patriæ conditionem, & loci facultatem, ac Prælati diſcretionem detur, infirmis ſemper (ut dictum eſt) uel notabiliter debilibus exceptis: & fiat benedictio, ut ſuperius dictum eſt, niſi quòd, collatione peracta, facto à Præſidente ſigno, conſurgentibusq; fratribus nihil dicatur, ſed ſtatim ad ſilentium pulſetur.

De modo, & ordine ſumendi refectionem. Cap. VI.

CVM APOSTOLVS præcipiat, ut omnia honeſtè, & ſecũdum ordinem fiãt, non ſolum nos cibo, & potu temperatè uti, ſed etiam conſtitutas horas obſeruare debemus, ne cuiquam de noſtra uita præbeamus offendiculum. Igitur ſingulis diebus, parata refectione, hora competẽti pulſetur ad prandium, uel ad cœnam, uel ad collationem: & tunc ad deſtinatum locum omnes uenire non differant, qui aliter

ex

ex Maioris licẽtia occupati nõ fuerint: & poſtquàm manus abluerint, & cum ſilẽtio reſederint, ſeruitor menſæ ad ſignum Prælati ingrediẽs refectorium pulſet campanulam, & tunc præcedentibus iunioribus, ingrediantur Canonici refectorium, & ipſis ibi ordinatè, ſicut in choro, ſtantibus capitibus mediocriter detectis, facto iterùm ſigno à Prælato, fiat benedictio menſæ ſecundum morem Eccleſiæ, hoc addito, ut dum Sacerdos dicit Benedic Domine, & cætera, fratres inclinent ſe uſq; ad Tua dona. Si quis autem ipſi benedictioni non interfuerit, poſtquàm Pater noſter ſemel cum Aue Maria ante menſam inclinatus dixerit, flexis genibus ſignum Prælati, uel Præſidentis expectet. Sedentibus deinde fratribus ad menſam, lector menſæ legere incipiat è Bibliis librum, qui pro tempore in officio diuino in choro legitur: & in eo ad ſignum Prælati lectio terminetur, uidelicet, ut ter ſuper menſam percutiat. Nullus autem diſcumbentium quicquam cibi, uel potus contingere præſumat, priuſquàm Prælatus bis ſup menſam ſuppercuſſerit. Cæterùm intra refectionem ex libris ſpiritualibus uulgari lingua, una, uel duæ lectiones legãtur, prout Prælatus ordinauerit, propter idiotas, & latinitatem ignorantes. Si quenquam uerò aliquo modo in menſa delinquere acciderit, utpote in effuſione cibi, uel potus, aut etiam à Maiore reprehẽdi, erectus humiliter ſignum eiuſdem expectet. Similiter neceſſitate aliqua, uel occaſione aliquis à menſa auocatus, ſurgat, & inclinatus ſignum

Prælati reuerenter moretur. Præterea fratres noſtri
ſemper, & ubiq; ambabus manibus bibant, & ſeden
do; ubi commodè fieri poteſt. Immũditias quidem,
& alia ſuperflua, quæ ex eduliis ſunt proiicienda,
non humi proiiciãtur, ſed in paropſidibus cum cibis
in menſa appoſitis, cum euacuatæ fuerint, reponan
tur. Cum autem obſonium aliquod in patinis datur,
ſigillatim, & ſeorſum ſua cuiq; fratri portio detur,
ita ut nunquàm ullo modo duo fratres de eadem pa
ropſide, uel de eodem inciſorio ſimul comedant.
Tãdem lecta lectione uulgari, ad nutum Prælati Ca
nonicus is, qui hebdomada præterita Biblia legit;
uel alius, cui ipſe Prælatus innuerit, dimiſſam Bi/
bliorum lectionem ſequatur: & in fine, cum remo
ta omnia fuerint; facto ſigno à Prælato, dicat le/
ctor Tu autem Domine miſerere nobis, & reſpon
ſo à Canonicis Deo gratias, ſeruitor menſæ campa
nulam pulſet uſq; ad ſignum Prælati: nullus tamen
ſurgere incipiat, priuſquàm Prælatus ipſe ſurgere
cœperit. Sed ſingulis hebdomadibus in fine pran
dii in ſabbato dato ſigno à Prælato, lector Biblio/
rum interrupta lectione, tabulam indicem officioꝝ
tam in Eccleſia, quam in domo Canonicis pro tem
pore contingẽtium, legat; excepto toto Quadrage
ſimæ tempore; in quo uidelicet ea tabula ſemper fe
ria ſexta non ſabbato legatur. Huc tamen addere
uiſum eſt, ut nulli Canonici noſtri in huiuſmodi ta
bula ad utenſilia coquinæ, ideſt patinas, paropſides,
ſcutellas, & huiuſmodi abluẽdas poſthac legantur,

aut depútentur, quando id quidem per multos an/
nos in Ordine noſtro certa ratione obſeruatum eſt.
Qui autem uiginti annos totos in Congregatione
noſtra exegerint, in eadem tabula ad omnia alia of/
ficia, quemadmodum cæteri minoris pfeſſionis an
notentur, præterquàm ad menſæ, & coquinæ ſerui
tium, à quo exemptos eos eſſe uolumus: qui uerò
trigeſimum religionis annum attigerint, ad nulla do
mus officia, ſed ad Eccleſiæ tantùm, ideſt ad Miſ
ſam conuentualem, & ad officium hebdomadarii
in choro notati legantur. Poſt communem uerò re
fectionem in mane omni tempore Cõuentus uadat
in chorum cantando pſalmum Miſerere mei deus,
uel alium pro tempore, ubi gratiæ terminentur.
Cum autem fratres reficiuntur in ſero, tunc poſt cœ
nam gratiæ reddantur, & terminentur ſecũdum mo
dum, & ritum, Eccleſiæ in refectorio; uel ubicunq;
facta fuerit refectio. Porrò ſingulis diebus poſt pran
dium actis gratiis, Canonici omnes cum ſilentio bi/
ni ordine procedẽtes iunioribus præeuntibus, intrẽt
Capitulum, uel uadant ad locum alium ad hoc ſecun
dum diſpoſitionem Cõuentus deputatum, ubi dicto à
Prælato Benedicite, & reſponſo Deus, nullo exiſtẽte
impedimento, examinet Prælatus, uel Præſidẽs ſpi
ritualem lectionem in menſa recitatam, quomodo
unuſquiſq; eam memoriæ commendauerit, aut intel
lexerit, prout ſibi uidebitur. Nulli prætereà Ordinis
noſtri comedere, aut bibere extra loca nr̃a liceat, præ
ſertim in domibus parẽtum, aliorumq; ſecularium,

cuiuſcunq; conditionis exiſtant, præter iter agentes,
qui ex longitudine itineris, uel aliqua debilitate ad
horam prandii, uel circa, ad monaſterium redire ne/
quiuerint, ſub pœna grauioris culpæ, quàm illicò
tranſgredientes incurrant: nec poſſit etiam Præla/
tus ullo modo diſpenſare, ut Canonici noſtri in do
mibus ſecularium huiuſmodi comedere poſſint, in
ciuitatibus maximè, in quibus monaſteria Ordinis
noſtri reperiuntur, uel propè, niſi magna neceſſita
te urgente.

De iter agentibus. *Cap.* VII.

CANONICI noſtri iter per obedienti/
am aggreſſuri, receptis prius à ſuo Præ
lato Breuiario, & pecunia, quanta ipſis
in itinere ſufficere poſſit, ſecũdum col
lectas in Ordine conſtitutas, quæ etiam in literis te
ſtimonialibus annotetur, Eccleſiam, ſiue Oratorium
intrent ad orationem. Et ad Maioris iuſſum congre
gati Canonici omnes, qui commodè intereſſe pote
runt, genibus flexis ante altare ſub hac antiphona,
ſcilicet In uiam pacis, ſalutis, & proſperitatis ange/
lus Domini comitetur uobiſcum, ut cum ſalute per/
ueniatis ad patriam, dicatur pſalmus Deus in nomi/
ne tuo ſaluum me fac, totus cum Gloria patri: de/
inde repetatur ſupradicta antiphona: qua finita, dica
tur Kyrieeleiſon, Chriſteeleiſon, Kyrieeleiſon, &
Pater noſter totum ſecretò: Poſteà Prælatus, uel

Præſidens

Præſidens proſequatur, reſpondentibus aliis Canonicis, hoc modo.

Ver. Et ne nos inducas in tententationem.

Reſ. Sed libera nos à malo.

Ver. Saluos fac ſeruos tuos.

Reſ. Deus meus ſperantes in te.

Ver. Eſto nobis Domine turris fortitudinis.

Reſ. A facie inimici.

Ver. Nihil proficiat inimicus in nobis.

Reſ. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

Ver. Mitte nobis Domine auxilium de ſancto.

Reſ. Et de Sion tuere nos.

Ver. Domine exaudi orationem meam.

Reſ. Et clamor meus ad te ueniat.

Ver. Dominus uobiſcum.

Reſ. Et cum ſpiritu tuo.

Oro. Oremus: Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & uiam famulorum tuorum in ſalutis tuæ pſperitate diſpone, ut inter omnes uiæ, & uitæ huius uarietates tuo ſemper protegātur auxilio, Per Chriſtum dominum noſtrum. Reſ. Amén.

Poſt quam orationem ſequatur Antiphona Salue regina miſericordiæ, quæ tota dicatur; item

Ver. Ora pro nobis ſancta dei genitrix.

Reſ. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oro. Oremus: Interueniat pro nobis quæſimus domine IESV Chriſte nunc, & in hora mortis noſtræ apud piiſſimam clemētiam tuam glorioſa uirgo Maria dulciſſima mater tua, cuius ſacratiſſimam ani/

cuiuſcunq; conditionis exiſtant, præter iter agentes,
qui ex longitudine itineris, uel aliqua debilitate ad
horam prandii, uel circa, ad monaſterium redire ne/
quiuerint, ſub pœna grauioris culpæ, quàm illicò
tranſgredientes incurrant: nec poſſit etiam Præla/
tus ullo modo diſpenſare, ut Canonici noſtri in do
mibus ſecularium huiuſmodi comedere poſſint, in
ciuitatibus maximè, in quibus monaſteria Ordinis
noſtri reperiuntur, uel propè, niſi magna neceſſita
te urgente.

De iter agentibus. Cap. VII.

CANONICI noſtri iter per obedienti/
am aggreſſuri, receptis prius à ſuo Præ
lato Breuiario, & pecunia, quanta ipſis
in itinere ſufficere poſſit, ſecūdum col
lectas in Ordine conſtitutas, quæ etiam in literis te
ſtimonialibus annotetur, Eccleſiam, ſiue Oratorium
intrent ad orationem. Et ad Maioris iuſſum congre
gati Canonici omnes, qui commodè intereſſe pote
runt, genibus flexis ante altare ſub hac antiphona,
ſcilicet In uiam pacis, ſalutis, & proſperitatis ange/
lus Domini comitetur uobiſcum, ut cum ſalute per/
ueniatis ad patriam, dicatur pſalmus Deus in nomi/
ne tuo ſaluum me fac, totus cum Gloria patri: de/
inde repetatur ſupradicta antiphona: qua finita, dica
tur Kyrieeleiſon, Chriſteeleiſon, Kyrieeleiſon, &
Pater noſter totum ſecretò: Poſteà Prælatus, uel
Præſidens

Præſidens proſequatur, reſpondentibus aliis Canoni cis, hoc modo.

Ver. Et ne nos inducas in tententationem.

Reſ. Sed libera nos à malo.

Ver. Saluos fac ſeruos tuos.

Reſ. Deus meus ſperantes in te.

Ver. Eſto nobis Domine turris fortitudinis.

Reſ. A` facie inimici.

Ver. Nihil proficiat inimicus in nobis.

Reſ. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

Ver. Mitte nobis Domine auxilium de ſancto.

Reſ. Et de Sion tuere nos.

Ver. Domine exaudi orationem meam.

Reſ. Et clamor meus ad te ueniat.

Ver. Dominus uobiſcum.

Reſ. Et cum ſpiritu tuo.

Oío. Oremus: Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & uiam famulorum tuorum in ſalutis tuæ ꝓſperitate diſpone, ut inter omnes uiæ, & uitæ huius uarietates túo ſemper protegãtur auxilio, Per Chriſtum dominum noſtrum. Reſ. Amén.

Poſt quam orationem ſequatur Antiphona Salue regina miſericordiæ, quæ tota dicatur: item

Ver. Ora pro nobis ſancta dei genitrix.

Reſ. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oío. Oremus: Interueniat pro nobis quæſimus domine IESV Chriſte nunc, & in hora mortis noſtræ apud piiſſimam clemẽtiam tuam glorioſa uirgo Maria dulciſſima mater tua, cuius ſacratiſſimam ani

mam in hora benedictæ paſſionis tuæ doloris gla/
dius pertranſiuit. Et alia oratio.

Actiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præ/
ueni, & adiuuãdo proſequere, ut cũcta noſtra Ora
tio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœ/
pta finiatur. Et alia.

Deus, qui nos in tantis periculis conſtitutos pro hu/
mana ſcis fragilitate non poſſe ſubſiſtere, da no/
bis ſalutem mentis, & corporis, ut ea, quæ pro pec
catis noſtris patimur, te adiuuante uincamus, Per
Chriſtum dominum noſtrum. Reſ. Amén.

Qua peracta, dicant circũſtantes Benedicite, & Præ
latus eos benedicens dicat Nos cum prole pia bene
dicat uirgo Maria, & dicto ſemel Aue Maria, Præ/
latus aſpergat eos, & omnes circunſtantes aqua be/
nedicta, qui poſtmodum accedẽtes ad Prælatum ſin
guli manum eius oſculentur: tum de eius licentia fi/
ant deinceps mutuæ ſalutationes cum omni mode/
ſtia, & grauitate tam uerborum, quàm actuum, om
nibus genua flectentibus, & manus ad pectus in mo
dum crucis tenentibus (capitibus uerò mediocriter
detectis, & cum omni reuerẽtia inclinatis) ac mutuis
orõnibus ſe commendantibus: & ſic demùm cum be
nedictione Prælati, & cum eius literis teſtimonialibus
uadant in nomine Patris, & Filii, & Spiritusſancti.

Similis etiam modus ingrediendi Eccleſiam in reuer
ſione, uel aduentu Canonicorum noſtrorum obſerue
tur, ubi dicatur pſalmus Laudate dominum omnes
gẽtes, totus cum Gloria patri, & kyrieeleiſon, Chri

ſte

ſte eleiſon, Kyrieeleiſon. Pater noſter.
Ver. Et ne nos inducas in tentationem.
Reſ. Sed libera nos à malo.
Ver. Sit nomen domini benedictum.
Reſ. Ex hoc, nunc, & uſq; in ſeculum.
Ver. Domine exaudi orationem meam.
Reſ. Et clamor meus ad te ueniat.
Ver. Dominus uobiſcum.
Reſ. Et cum ſpiritu tuo.
Oro. Oremus: Maieſtatem tuam clemēs, & omnipotens deus fuſis precibus exoramus, ut ſicut paſſionem domini noſtri Saluatoris cum pia deuotione fideliter recolimus, ita à cunctis erepti dæmonum aduerſitatibus ſemper tibi placere ualeamus, Per eūdem Chriſtum dn̄m noſtrum. Reſ. Amen.
Poſteà antiphona Salue regina miſericordiæ, & cætera: tum
Ver. Ora pro nobis ſancta dei genitrix.
Reſ. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.
Oro. Oremus: Interueniat pro nobis, & cætera, ut paulò ante. Poſteà dicatur oratio Sancti, uel Sanctæ illius, cuius nomine, ac titulo locus ille, ſiue Eccleſia nuncupatur, & oratio beati patris noſtri Auguſtini, ideſt
Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens deus, & quibus fiduciam ſperādæ pietatis indulges, intercedente beato Auguſtino confeſſore tuo, atq; pontifice, conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum, Per chriſtum dn̄m noſtrum. Reſ. Amen.

Deniq; Benedicite, & cætera, ut ſupra: quibus di/
ctis, ad Prælatum uadant pro benedictione, ipſiq;
manum oſculentur, & literas cum reſiduo pecuniæ,
ſi qua eis in uia ſuperfuit, tradant: hinc ad hoſpitia
deducantur, eorumq; per deputatos lauentur, & oſ
culentur pedes: ac poſteà tempore, quò Prælato ui
debitur, fiãt mutuæ ſalutationes, ac uiſitationes cum
cæteris Canonicis modo, & ordine ſupradictis. Con
ſtituti igitur (ſicut præfertur) in itinere, ita religio/
sè, & modeſtè ſe habeant opportunis colloquiis, &
moribus honeſtis in omni ſua conuerſatione, ut ſe
cundum beati patris noſtri Auguſtini regulam, ni
hil faciant, quod cuiuſquam offendat aſpectum: Of
ficium etiam ſuum dicant ſicut diligenter, ita & de/
uotè, ut nunquam omnino illud omittant. Caue/
ant itaq; Prælati ne mandẽt, ne'ue permittãt Canoni
cos nr̃os ſolos ire nec ad balnea, nec aliò quocunq;:
ſed ſecundum Regulam eiuſdem beati patris noſtri
duo, uel plures (quantùm poſſibilitas ſubminiſtrat)
ſimul uadant. Cum autem Canonici, & fratres de
loco ad locum deſtinantur, nil ſecum deferãt abſq;
licentia Prælati illius Cõuentus, unde recedũt, præ/
ter neceſſaria, & uſui ſuo cõceſſa, ſeu deputata: quæ
omnia ipſi Prælato oſtendere teneantur, ſi ei placue
rit. Similiter nec eis liceat quicquam illic dimittere,
unde recedunt, ſine licentia Prælati illius Conuen/
tus, in quo aſſignati ſunt: ſed omnia indumẽta uſui
eorum conceſſa ſecum deferre teneantur, ut moris
eſt. Teneantur tamen Prælati monaſteriorum Ca/
 nonicis,

nonicis, & fratribus inde amotis indumenta (ſiqui/
bus carent) in Ordine conſueta prouidere, ideſt Ca
pam, Scapularia, Rochetos, Tunicam, Tunicellam,
Tunicinum, Albetam, induſia, caligas, calceos, pi/
leos, & mantela etiam fratribus Commiſſis, uel ſi
quid aliud eiuſmodi eſt ad uſum Canonicorum, &
fratrum noſtrorum conceſſum. Cum autem pro hu
iuſmodi indumentis pecunia aſſignãda erit, iuxta
collectas, atque æſtimationes in Ordine noſtro fa/
ctas, & uſitatas aſſignetur: neque uerò ea pecunia
ipſis Canonicis, & fratribus abeuntibus detur, ſed
potius Prælatis monaſteriorum, ad quæ illi deſtinan
tur, uel tranſmittatur, uel congruo, aut etiam ſta/
tuto per huiuſmodi cauſarum iudices tempore, per/
ſoluatur. Indumenta autem huiuſmodi, atque eti/
am pecunia (ſi cui tamen aliquando iuſta de cauſa
danda erit à monaſterio diſcedenti) in libro ad
hoc ordinato ſcribantur, atq; etiam chirographo
manu diſcedentium annotentur. Præterea fratres
noſtri ſic miſſi nihil noui ab uno Conuentu ad ali/
um quoquo pacto afferant, niſi exempla fratres ſu/
os ædificatura. Cum uerò acciderit fratres aliquos
ſepta monaſterii egredi ad quotidiana negotia, uſúſ
que neceſſarios, ad Prælatum cum iis ſociis, quos
ille aſſignauerit, ſimul uadant pro benedictione:
deinde dicto prius in Eccleſia, uel in Oratorio Aue
Maria, & ſui cuſtodia deo tota commiſſa, eant, &
cum omni morum religioſa grauitate ubiq; ſe ha/
beant.

beant, Quãdo autem fratres ſunt ad eundem Con
uentum, unde recedunt, reuerſuri, tãtam pecuniam
eis dare teneatur, quantam pro eundo, & redeundo
Prælatus neceſſariam fore iudicauerit. Similiter
Prælati conuentuales ad generale Capitulum cum
ſuis ſociis cõuenientes, tãtum deferant pecuniarum,
quantum ſibi, & ipſis ſociis in acceſſu, & regreſſu
ſuppetat. Dicti etiam Prælati quando ad ipſum Ca
pitulum generale accedũt, ſaltem dimidiam partem
omnium collectarum, ſiue taxarum tam pro Priore
generali, quã etiam pro quibuſcunq; aliis neceſſi
tatibus Ordinis impoſitarum, ſiue imponendarum,
nec non collectam conſuetam pro ſubſidio mona/
ſterii, ubi Capitulum generale celebratur, ſecum por
tare teneantur. Si uerò maiorem pecuniarum quan
titatem eos deferre aliqua legitima occaſione neceſſe
fuerit, ſine ſcientia Vicarii ſui, & duorum antiquio
rum Canonicorum ſui Conuentus id minimè face/
re poſſint.

De Veſtibus. *Cap.* VIII.

LINEIS ueſtibus ad carnem non utan
tur fratres noſtri, ſed tantùm laneis:
quæ ueſtes non ſolum in panni æſti/
matione, uerùm etiam in lõgitudine,
& latitudine omni careant nota ſecularis pompæ,
& uanitatis. Tunicas albi coloris rocheto cooper/
tas, & ſcapularia alba: ſimiliter & omnia alia indu/
menta & capitis, & pedum: Capas uerò nigri colo

ris deferânt Canonici noſtri. Sufficit autem, ut tu/
nica deſcendat uſq; ad talum pedum, ſcapulare ſu
pra talum ad palmum, rochetus in longitudine me/
dium teneat inter tunicam, & ſcapulare: Capa in lon
gitudine tunicæ, uel circa, menſuram habeat: capi
tia uerò tam Caparum, quàm ſcapularium ſint ad for
mam, & non excedant menſuram in Ordine conſue
tam. Nouitii ſimiliter ut profeſſi induantur, excep
to quòd ſcapularia eorum infra genua non deſcen
dant. Conuerſi item per omnia ſicut Canonici, ſeu
clerici induantur, niſi quòd ſuper rocheto corrigia
cingantur. Capis autem intra ſepta monaſterii Cano
nici noſtri non utantur, ſed deferre poſſint chlamy
des, ſeu mantela ſimiliter nigri coloris, ſicut ſunt Ca
pæ, quæ ſint ad formam, & non excedant mẽſuram
eorum, quæ hactenus portare conſueuimus. Comiſ
ſi ueſtiantur indumentis ſubruſis, uel (ut uulgari uo
cabulo dicitur) chryſeis, aut biretinis: & tempore
eorum nouitiatus portent chlamydes, ſiue mantela
aperta à parte anteriore, ſicut Canonici: à profeſſio
ne uerò clauſa illa quidem anterius, ſed ab utroq;
latere ita aperta, ut inde manus, & brachia extrahere
poſſint: nec teneantur dicti Commiſſi ea, niſi pro
libito, & uolũtate deferre ꝓpter exercitia charitatis,
ad quæ eos ſemper accinctos, & expeditos eſſe opor
tet: quos etiam ad communem charitatem cõſeruan
dam fratres appellari, ſeu prænominari uolumus ſimi
liter, ut Canonici, cum additione tamen cognominis
Commiſſi, exempli cauſa frater Franciſcus commiſ

ſus, ad ipſorum Canonicorum differētiam. Cumq; ueſtimenta, uel calceamenta, uel aliud ſimile alicui fratrum datur, ipſe genibus flexis dicat Benedictus deus in donis ſuis, & cætera illius uerſiculi, ut in menſæ gratiis. Sed cum officium aliquod cuiquam iniungitur, is ſimiliter genibus flexis, & capite dete cto ſine contentione recipiat dicens Deo gratias. In/ ſuper uigili cura ſtudeat Prælatus ſimul cum ſuo Vi cario uidere omnia indumenta Canonicorum, ac fra trum ſui Conuentus, & abſq; perſonarum acceptione iuxta loci facultates unicuiq; neceſſaria prouidere, ne peculiariter ipſi ſibi prouidere cogantur. Veſtimen ta ergo prædicta in communi tempore debito iuxta diſcretionem Prælati lauentur ſiue ab ipſis fratribus, ſiue à fullonibus, ne iuxta beati patris noſtri Regu lam interiores animæ ſordes contrahat mundæ ueſtis nimius appetitus. Nec defacili permittant Prælati illos peculiariter ſibi, & ſigillatim prædicta indumen ta lauare, ne ꝓpriis ſeruiendo communia negligãtur.

De raſura. Cap. IX.

RASVRA fiat temporibus congruis, ſi cut religioſos decet pauperes, & humi les. A' feſto igitur Reſurrectionis Do mini uſq; ad Exaltationem. s. Crucis raſura decimo quoq; die, à feſto uerò prædicto uſq; ad Reſurrectionem Domini quintodecimo quoque die fiat. Ac erit quidem corona, quæ ſolis clericis ex inſtitutione Patrum debetur, non latior duobus

digitis

digitis à ſummitate aurium incipiens: cætera uerò pars capitis tam ſupra, quàm infra radatur. Prouideant ergo Conuentuum Prælati, quantùm locorum poſſibilitas ſubminiſtrat, ut ſingula monaſteria locum ad hoc idoneum habeant ab aliis locis, ubi quieſcunt, & conuerſantur fratres remotum, ne tempore ſilentii Conuentus inquietetur: in quo loco ſilẽtium ſemper ſeruetur, neceſſitatibus dũtaxat exceptis, in quibus etiam ſubmiſſa uoce interrogentur, uel reſpondeantur, quæ neceſſaria eſſe uidebuntur.

De cellis, & lectis. Cap. X.

SAEPE legimus ſanctos angelos uiſitaſſe eos, qui ſtratus mollitiem caſtitati plurimùm aduerſantem fugientes dormiebant. Iccircò ſuper ſtramenta, uel (ut uulgò loquimur) ſaccones dormiant fratres noſtri, & in ſingulis lectis in ſingulis cellis ſoli dormiant tunica magna, uel parua ſemper induti, & cincti. Linteaminibus uerò è lino, cannabo, bombice, & aliis eiuſdem generis nullus in locis noſtris penitus utatur, ſed tantùm laneis, præter grauiter infirmos; quibus etiam ſuper culcitris plumeis, uel laneis, & huiuſmodi dormire, & lineis induſiis, ſeu camiſiis uti in longitudinem lanearum ipſa graui infirmitate durante licebit. Ceruicalibus tamen, ſeu puluinaribus quibuſuis lineo panno coopertis omnes uti poterunt. Coopertoria, ſeu ſtragula lectorum ubiq; ſint humilia, etiam ubi recipiuntur hoſpites, quæ

magis frigus abigant, & foueant honeſtatem, quàm
ſtrata ornent. Fratribus autem noſtris extra Conuen
tum conſtitutis dormire licebit, prout eis fuerit ſtra
tum, ne hoſpites moleſtentur. Caueant nihilominus
ſub pœna grauioris culpæ, ne unquàm extra Con/
uentum, & loca noſtra abſq; magna neceſſitate dor/
mire audeant, ſemper feſtinantes ita tempeſtiuè ab
omnibus negotiis ſe expedire, ut extra monaſteri/
um hora ſera non reperiantur. Diligenter inſuper
prouideant omnes Prælati, ſiue Præſidentes, ne mit
tant Canonicos noſtros, maximè iuniores, ad loca
etiam noſtra, ſeu mēbra monaſteriorum noſtrorum
ſub ſpecie recreationis, & humanitatis, ita remota,
ut eos extra Conuentum dormire oporteat, niſi in
iiſdem locis, & membris tanta ſit lectorum copia,
ut ſoli, & ſigillatim (ut dictum eſt) dormire que/
ant: alioquin ad loca ita propinqua pro huiuſmodi
recreationibus mittantur, ut ſemper ad Conuentum
eodem die redire poſſint.

De cura, & regimine infirmorum. Cap. XI.

INFIRMVS fui (ait Dominus) & ui/
ſitaſtis me: & iterùm Quod uni ex mi
nimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Pro/
pterea caueant Prælati, ne circa infir/
mos, & regimen eorum ſint negligentes. Infirmi
enim (ſicut dicit pater noſter Auguſtinus) ſic tra/
ctandi ſunt, ut citius recreentur. Iccircò infirmo/
rum cura alicui fratri diſcreto iniungenda eſt, qui
eos

eos patienter, & cum charitate gubernet, eaq; dile-
ctione, & affectu eis deſeruiat, ac ſi ipſi domino
IESV Chriſto deſeruiret. Infirmi uerò ſummopere
caueant, ne ſua importunitate, aut impatientia ipſos
ſibi ſeruientes inquietent. Studeant igitur deo gra-
tias agere in omnibus, quæ ſibi contingunt, & quæ
à ſeruientibus propinãtur, humiliter, & benignè ſu-
ſcipiant, ne infirmitas, quæ ad purgationem animæ
eis data eſt, in augmentum culpæ uertatur. Porrò
cum quis frater infirmatur peſte, uel febri, aut alio
quocunq; morbo, & infirmitate, propter quam de
ipſius corporali ſalute ſit meritò dubitãdum, ad Præ
lati, ſeu Infirmarii admonitionem, quàm citius fieri
poterit, ſacramentaliter confiteri ſtudeat, & Euchari
ſtiam humiliter petens cum omni deuotione accipi-
at: quod ſi abſq; legitimo impedimento facere ne-
glexerit, uel cõtempſerit, à fratribus non uiſitetur,
nec ulla ei exhibeatur humanitas, ultimis neceſſita-
tibus duntaxat exceptis, quouſq; eum reipſa, & cum
effectu pœniteat. Poterunt quidem infirmi ueſci car
nibus, ut eorum grauis exiget infirmitas, quoties,
& quandocunq; Prælato de conſilio medici uiſum
fuerit expedire. Studium igitur Prælati, ſeu Infir-
marii erit in abſentia infirmi ſeorsùm cum medico
diligẽter, ac ſolicitè pertractare de iis, quæ ipſi infir
mo ſunt neceſſaria, ita ut ille, quid ſibi paretur, pe
nitus ignoret, ne ſcilicet per corporalem infirmita-
tem fructus ſubiectionis, & humilitatis amittat: ſed
tamen ſecundum patris noſtri Regulam, quantùm

poſſibile eſt, nihil prætermittatur eorum, quæ medi cus eiuſmodi ægritudini duxerit eſſe neceſſaria. Si quis autem eiuſmodi infirmitatem patiatur, quæ nec ipſum debilitet, nec comedendi turbet appetitum, is ſuper culcitra non dormiat, nec ieiunia conſueta frangat, nec cibos communes refectorii mutet, niſi Prælatus de conſilio medici aliter ordinauerit. Studeant etiam Prælati prouidere loca à conuerſatione aliorum ſegregata, in quibus ſeorsùm manere iubeant eos, qui aliqua contagioſa infirmitate grauantur, ut ſunt peſtis, & phthiſis, cæteraéq; huiuſmodi infirmitates; qui etiam uiſitentur ab iis duntaxat, quibus Prælatus ordinauerit, & non ab aliis: nihil tamen (ut ante dictum eſt) deeſſe eis permittatur, quod neceſſarium prædictis infirmitatibus fuerit iudicatum: ſeruientibus autem huiuſmodi infirmantium prouideat Prælatus, prout ipſi ſecundum diſcretionem ſuam uidebitur conuenire. De debilibus uerò, & ſenibus, qui nec infirmi ſunt, nec ſani omnino, Prælatus Prioris generalis, & Viſitatorum conſilium ſequatur, & ut illi ordinauerint, ita ipſe diſponat abſque aliquo ſcrupulo, cum in hoc non iudex, ſed miniſter, & executor exiſtat: & in his, ſicut in cæteris, nulla debet eſſe perſonarum acceptio: nec contemnenda eſt humillima paupertas in iis, quæ poſtulat humana neceſſitas. Cum autem quis ex humana conditione morti appropinquat, fiat ei plenaria abſolutio Ordini noſtro apoſtolica authoritate conceſſa, hoc modo. Primùm dicat infirmus Confiteor

totum

totum, ſi poteſt, ſi uerò non poteſt, dicat alius loco illius: poſteà ſacerdos, cui ille fuerit generaliter, uel ſpecialiter confeſſus, dicat Miſereatur totum, & Indulgentiam, & conſequenter hanc abſolutionem, ideſt Auctoritate dei, & beatorum Petri, & Pauli apoſtolorum eius, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ mihi commiſſa, & tibi conceſſa ego te abſoluo ab omni ſententia excommunicationis maioris, uel minoris, & reſtituo te unitati fidelium, & ſanctis ſacramentis Eccleſiæ; & authoritate mihi commiſſa, & tibi conceſſa te abſoluo ab omnibus peccatis tuis contritis, cōfeſſis, & oblitis. Item authoritate Dei, & beatorum Petri, & Pauli apoſtolorum eius, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & authoritate Domini nři ſummi Pontificis mihi in hac parte commiſſa, & tibi conceſſa, & quantùm debeo, & gratum in oculis diuinæ maieſtatis fuerit, te abſoluo ab omnibus pœnis tibi in purgatorio debitis propter culpas, & offenſas, quas contra deum commiſiſti, prout in priuilegio ordini noſtro conceſſo à ſanctæ memoriæ domino papa Gregorio duodecimo, & Iulio ſecūdo plenius cōtinetur, in nomine Přis, & Filii, & Spirituſſancti, amén. Si uerò iſta uice non morieris, reſeruo tibi indulgentiam cōceſſam ab eodem domino noſtro papa pro ultimo articulo mortis tuæ, ut in eodem priuilegio indulgentiæ plenius continetur, in nomine Patris, & Filii, & Spirituſſancti, amén. Mortuo autem fratre, parentur exequiæ, & fiant ei omnia, quæ in Ordinario noſtro, & in Breuiario continentur.

HOSPES eram (ait Dominus) & collegiſtis me. Officium igitur recipiendi hoſpites alicui fratri maturo, & diſcreto iniūgatur. Hoſpitibus quidem quantūlibet uocabulo religionis cenſeantur: cibi, & ſtrata (quantùm fieri poteſt) extra refectorium, & dormitorium, & cōmunem fratrum conuerſationem parētur, neq; liceat eos, quibus (ſicut præfertur) ſeorsùm paratur, intra ſepta monaſterii diutius commorari, quàm dies quinq;. Sed matura diligentia adhibeatur, ut (habita ſemper perſonarum ratione ſecundum diuerſam illarum cōditionem) quàm citius fieri poterit, ad propria loca remittantur. Imminente uerò aliqua neceſſitate dictos hoſpites diutius retinendi, poterit Prælatus de conſilio Diſcretorum terminum hoſpitibus huiuſmodi prorogare. Ad loca autem prædicta, ubi hoſpites recipiuntur, nullus accedere præſumat abſq; ſuorum licētia Prælatorum, illis exceptis, quibus ea cura commiſſa eſt: in quibus etiam hoſpitiis (ut ante cap. x. traditum eſt) habeantur culcitræ cum linteaminibus è lino, & coopertoriis, ſeu ſtragulis honeſtis, atq; alia neceſſaria, prout pauperes religioſos decet. Mulieres uerò, cuiuſcunq; ætatis, gradus, aut conditionis exiſtāt, nullo modo quacunq; de cauſa intra ſepta monaſterii introducantur, aut ingredi permittantur, parte inferiore Eccleſiæ duntaxat excepta: præ-

terquàm in duabus anni ſolennitatibus, ideſt in præcipuo, ac proprio feſto loci, & in conſecratione Eccleſiæ eiuſdem loci, quibus diebus uſq; ad altare maius tantùm eis aſcendere licebit. Curet inſuper quilibet Prælatus, ſeu Præſidens, aut is, cui officium ſuſcipiendi hoſpites iniunctum eſt, ut in ipſis hoſpitiis aliquis liber ſpiritualis, & religioſus ſemper habeatur, ex quo quando Canonici noſtri cum iiſdem hoſpitibus comedunt, ad diſcumbentium conſolationem lectio una legatur, ac recitetur.

De ſilentio. *Cap.* XIII.

Cvm labiorum ſilẽtium ſit religionis decus, & præcipua quietis mẽtis cuſtodia, fratres noſtri ſilentium teneant specialiter ſemper in choro, in dormitorio, & in cellis. Nullus autem frater ingrediatur cellam alterius, illo ibidem exiſtente, ita ut diligenter obſeruetur, ut nullo unquàm tempore duo fratres, uel plures in eadem cella ſimul inueniantur, niſi de licentia Prælati, uel Præſidentis petita, & obtenta. Item ſilentium teneatur in locis neceſſitatis, ideſt ad latrinas, ubi de nocte lampas continuè ardeat. Similiter in clauſtro primo, ubi duo ſunt clauſtra, ubi autem unum ſolum eſt, in ea parte clauſtri, in qua eſt Capitulum. In refectorio quoq; omnibus horis dum comeditur, tam in prima, quàm in ſecunda menſa inuiolabiliter quacunq; hora ſilentium obſeruare diſcumbentes teneantur. Silentium etiam teneant fra/

tres noſtri in quolibet loco à ſigno, quod fit poſt cœ
nam, uel collationem, uſq; ad dictam Primam diei
ſequentis: quo etiam tempore nulli quacunq; de cau
ſa aperiatur ad cellam alterius pulſanti, niſi de licen
tia Prælati, uel Præſidentis, uel ob magnum pericu-
lum euitãdum. Item in æſtate à ſigno, quod fit poſt
prandium, uſq; ad dictam Nonam, & quando No-
na non dicitur, uſq;quo fratres à dormitione ſur-
rexerint: quo eodem tempore hoſpites, ſiue adue-
næ in domum nullatenus recipiantur, niſi neceſſita-
te urgẽte, & tunc in parte remotiore à cellis, & loco,
ubi fratres quieſcunt, detineantur. Silentium etiam
ſemper teneant omnes ubiq; per totum Conuentum,
dum fratres communiter in refectorio comedũt, ex-
cepto Prælato, uel Præſidente, cui loqui licebit, ſi
uiderit eſſe opportunum. Si quid autem opus fuerit,
ſonitus cuiuſcunq; ſigno petatur, uel alio quocunq;
nutu potius, quàm uoce ſignificetur. Quamobrem,
qui ſilentium comedendo in refectorio abſq; neceſſi
tate, etiam ſubmiſſa uoce fregerit, is in uno prãdio
comedat ad terram: qui autem alias intra diem natu
ralem horis, & locis prohibitis ſilentium fregerit,
ſimiliter in uno prandio comedat ad terram. Vt au
tem ſilentii fructus perfectius habeatur, & cõſcientiæ
puritas conſeruetur, ac multæ diabolicæ fraudes eui
tentur, nulli Canonicorum noſtrorum extra horas,
& tempora conſtituta ſecretè, & ſeorſum abſq; Præ
lati, uel Præſidentis licentia inter ſe colloquantur,
etiam de rebus bonis, & ſanctis. Nec etiam ſub ſpe-

cie

cie fraternæ charitatis habeatur aliqua frequens con
uerſatio ſingularis : ſed cum ad placitum Prælati,
ſeu Præſidentis poſt prandium, uel aliis temporibus
ibitur ſpatiatum intus, uel foris, omnes ſimul, nullo
abſq; magna neceſſitate, & conſenſu Prælati rema/
nente, cum charitate uadant de ſpiritualibus, & ho/
neſtis humanè, & fraternè ſine contentione inuicem
colloquendo: ac ſemper in fine ex omnibus collocu
tionibus ad omnium utilitatem, & cõſolationem ſpi
ritualem gñalis cõcluſio ſũmatim colligatur, ac me
moriæ cõmendetur ab eo reportanda, quem in eo lo
co Prælatus ad hoc ordinauerit. Nec ullus unquàm
reuelet ſecreta, & tentationes neq; ſuas, nec alienas,
tam ſpirituales, quàm corporales alicui, niſi Præla
to, aut cui Prælatus licentiam illi permiſerit reuelan
di. Vt autem iuuenes in timore, & reuerentia perſe
uerãtes ad religionis perfectionem attingere poſſint,
mandamus, & inuiolabili obſeruantia cuſtodiri uolu
mus, ut nullus fratrum noſtrorum colloqui cum iu
uenibus, qui non ſunt in ſacris ordinibus conſtituti,
audeat ſine licentia Superioris, ultimis neceſſitatibus
dũtaxat exceptis: quod etiam de iuuenibus & inter
ſe, & erga antiquiores inteligi uolumus: cõtra quod
facientes pœnæ grauis culpæ ſubiiciantur. Nullus
prætereà fratrum Ordinis nr̃i, etiam ſub ſpecie bo/
ni, aliquo modo audeat, ac præſumat detrahere, aut
murmurare, uel detrahentibus, aut murmurantibus
de Prælatis, ſiue Præſidentibus, & aliis fratribus no
ſtræ Congregationis, aut de aliquo alio, cuiuſcunq;

gradus, ſtatus, & códitionis exiſtat, aliquatenus au ditum præbere. Si cui tamen neceſſe uideretur ad honorem dei aliquid dicere, cum charitate, & diſcre tione Prælato ſuo, uel Præſidenti dicat. Si quis in/ ſuper aduerſus Prælatum non malitioſè, ſed cum ue ritate aliquid habuerit, quod tolerari non deceat, prius illum inter ſe, & ipſum ſolum cum omni hu militate, & charitate de ſui correctione admoneat: quòd ſi ille frequenter admonitus corrigere ſe con/ tempſerit, aut neglexerit, Priori generali, aut Viſi tatoribus ſtudeat intimare, ut honeſtati Ordinis ꝓ/ uideatur: aliter uerò nec Prælatos ſuos, nec alium quencūq; nullus audeat infamare. Quare ſiquis Præ latum ſuum, aut alium aliquem Canonicorum, ac fra trum ſuoꝝ apud Priorem gnālem, & Viſitatores tem pore uiſitationis accuſare de aliquo crimine uoluerit, huic prius Patres proteſtentur ipſum talionis pœna, ideſt illi crimini debita, niſi id legitimè probaue/ rit, teneri; ſimul etiam crimen, & utriuſq; nomina tam accuſatoris, quàm rei ſcriptis mandentur. Tum uerò citatus reus, ſi quidem peccatum ſuum humili ter agnouerit, & confeſſus fuerit, cum charitate iux ta culparum qualitatem puniatur: ſin autem negaue rit, & conuictus fuerit, pœna grauiore afficiatur. Contrà uerò, ſi reum legitimè redarguere accuſator non poterit, ipſe pœna illi crimini conſtituta (ut di ctum eſt) puniatur. Quòd ſi idem iudicio conten/ dere, aut etiam nominari recuſauerit, nequaquàm au ſcultetur, ſed potius uelut delator iniquus, ac frau/ dulentus

dulentus reiiciatur. Si quis autem etiam apud Prælatum ſuum alium quencunq; fratrum infamare præſumpſerit de crimine, etiam de auditu, quod legitimè ꝓbare non poſſit, ſimiliter pœna eiuſmodi crimini debita ipſe puniatur, nec poſſit etiam Prælatus cum eo diſpenſare, quin tali pœna plectatur. Studeant igitur tam Prælati, quàm ſubditi ita prudenter, & cum charitate de fratribus ſuis loqui, ac etiam ſcribere, ut extra formam debitam charitatis nullus de aliorum defectibus obloquatur, uel ſcribat.

De literis, et mandatis non accipiendis. Cap. XIIII.

SECRETA inſuper aliqua intus, uel foris, quæ contra religionis profectum ſint, aut contra proximum, aut unde aliquod ſcandalum oriri poſſit, nulli penitus ſuſcipere liceat, quin ipſa Prælato, ſiue Præſidenti ſuo ſtatim reuelet. Quapropter nullus fratrum noſtrorum cum aliqua perſona, etiam religioſa, ſeu eccleſiaſtica, ſine licentia ipſius Prælati, aut Præſidentis ſui in ſpecie, ſiue in genere conceſſa loqui audeat: ſed interrogatus breuiter reſpondeat, & Prælato ſtatim denuntiet. Nouitii uerò digito ori appoſito hoſpitem remorentur, & Prælato ſuo, ſeu magiſtro illicò ſignificare procurent. Multò magis fratres Ordinis noſtri prohibentur ſine licentia ſui Superioris ſcribere, uel aliquod mādatum alicui, cuiuſcunq; ſtatus, & conditionis exiſtat, mitte-

re, uel ab altero miſſum recipere, atq; etiam alienas literas perferre, aut referre, etiam fratribus noſtri Ordinis: & præſertim hoſtiarii, qui omnes literas, ſiue mandata tam intus, quàm foris Prælato ſuo referre teneantur: nec alicui poſſint ſine illius licentia in genere, uel in ſpecie obtenta, aliquid tale reddere, uel referre: quod à patre noſtro. s. Auguſtino in Regula apertius inhibetur: niſi tantùm Priori generali, & Viſitatoribus, à quibus etiam recipere poterunt. In literis uerò, ſiue mandatis aut mittendis, aut recipiendis, eiuſmodi ordo ſeruetur, ut Prælatus quidem primùm uideat, legat'q; literas, & audiat mandatum, ut pro eius diſcretione uel mittantur, ſeu recipiantur, uel non. Literas autem Prioris gñalis, & Viſitatorum, cæterorum'q; Prælatorum conuẽtualium cuicũq; directas, nulli neq; Prælato, neq; ſubdito aperire, ſeu legere, aut retinere liceat: ſed omnes ſtatim, & abſq; mora iis, qbus directæ ſunt, reddere teneantur. Nullus etiam præſumat literas ſibi, aut ſubditis ſuis non directas quoquomodo aperire, aut legere, uel retinere: ſed cumprimum eas quiſpiam receperit, citò, & fideliter ad eos, qbus directæ ſunt, tranſmittere procuret. Deniq; ſi aliquis fratrum ordinis noſtri ſuo Prælato uel Præſidenti dixerit ſe aliquam gratiam, uel licentiam, aut diſpenſationem à Priori generali, uel Viſitatoribus obtinuiſſe, ipſe quidem Prælatus, aut Præſidens non prius acquieſcat, quàm hoc ipſum Priori generali, uel Viſitatoribus ſignificando certior fiat: niſi fra

ter

ter ille oſtenderit literas eorundem Prioris generalis, uel Viſitatorum ſigillo munitas. Nullus prætereà Ordinis noſtri, cuiuſcunq; gradus, & conditionis exiſtat, literas Reuerendiſſimo Cógregationis noſtræ Protectori de rebus ad ipſam Congregationem ſpectantibus ſcribere poſſit, ſubditus quidem ſine licentia, & ſubſcriptione ſui Prioris, & Vicarii, Prælatus uerò ſine ſcientia ſui Vicarii, & antiquioris Canonici ſui Cóuentus ſub pœna priuationis uocis actiuæ, & paſſiuæ ad triennium. Item nec etiam accedere ad Curiam Romanam ſub eadem pœna, exceptis iis Cóuentibus, qui in eadem Curia lites, & cauſas habent. Cautos inſuper ſe exhibeant Prælati in mandatis, aut delationibus, quæ interdum referuntur, ne fortè nimium creduli ſibi, aliiſq; ſcandalum generare dignoſcantur. Contra uerò præmiſſa facientes pœnæ grauis culpæ ſubiiciantur, exceptis iis, qui literas Prioris generalis, uel ab ipſo ad alios, uel ab aliis ad ipſum directas aperuerint, legerint, uel retinuerint: quos pœnæ grauioris culpæ uolumus ſubiacere.

De receptione nouitiorum in domum. Cap. XV.

CIRCA receptionem nouitiorum in domum diligés cura eſt adhibenda: nam ſecundum qualitates ſeminum ſegetes creſcunt. De fundamentis igitur primò curandum eſt, ut talia ſint ſuper quibus errigi ualeat perfectionis celſitudo ſanctæ Religionis.

Quapropter nullus recipiatur in domum ſine con ſenſu maioris partis profeſſorum Canonicorum, & ante ætatis ſuæ annum ſextumdecimum, & niſi ſit ſanæ mentis, & bonæ indolis. Et ſi quis ſemel pro/ poſitus fuerit, & non receptus, amplius non propo natur, nec etiam ad alium ex noſtris locis mittatur, niſi de conſilio maioris partis ſacerdotum. Quia uerò inſcrutabile eſt cor hominis, ante receptionem cuiuſcunq; nouitii ad habitum Ordinis, quæratur di ligenter de moribus, & conuerſatione eius, tenea/ turq́; cum Canonicis ꝓfeſſis ad communem uitam, communiaq́; colloquia aliquo tempore plus, minusue, prout ad gloriam dei, religionisq́; profectum Prælato uidebitur expedire: quo quidem tempore exerceatur prudenter circa abnegationem ꝓpriæ uo luntatis, & opera humilia, ea præſertim, quæ requi runt frequentius patientiam. Qui ſic, ut præfertur, probatus, ſi apparuerit ueriſimiliter aptus ad religio nem; & ipſe nouitius ſemel, uel pluries ad habitum recipi cum omni humilitate coram omnibus Cano/ nicis poſtulauerit, excluſo eo cum cæteris nouitiis, proponat eum Prælatus Canonicis in Capitulo, co ram quibus ſi quis uoluerit aliquid pro eo, uel con tra eum dicere, ſurgens dicat, quod ſibi ad dei ho norem, religionisq́; profectum expedire uidebitur: & auditis omnibus aliquid dicere uolentibus, ſcru tentur Canonicoꝝ uolũtates per ſuffragia, ideſt per fabas albas, & nigras, uel huiuſmodi: quæ uideli/ cet ſcrutationis forma ſemper, & ubiq; in omnibus

tractandis

tractandis obſeruetur: & facto calculo, ſi omnibus, uel ſaltem duabus ex tribus partibus uidebitur eſſe ad habitum recipiēdus, Prælatus hoc Canonicis denuntiet, & diem, ac horam ad id faciendum ſtatuat. Nolumus tamen propterea aliquem ad habitum Conuerſorum recipi, niſi de expreſſa licentia Capituli generalis, & conſenſu conuentualium illius loci, in quo hmōi petit recipi. Similiter nec aliquem alterius religionis expreſsè profeſſum ad habitum noſtrum modo aliquo recipi abſque expreſſa eiuſdem Capituli generalis licentia: & qui cōtra hæc duo præmiſſa fecerint, illicò pœnam grauis culpæ incurrant. Illud etiam addere uiſum eſt, ut nullus Prælatorum, ſeu Præſidētium monaſterioꝝ noſtroꝝ recipere poſſit aliquem ad habitum Commiſſorum, qui trigeſimum ætatis annum tranſierit, ſine licentia Prioris generalis, & Viſitatorum ſub pœna priuationis officii ſui: qui uerò quadrageſimum exceſſerint, ut recipiantur, nec ipſe Prior generalis, & Viſitatores licentiam concedere poſſint ſub eadem pœna, quam ipſi contrafacientes illicò incurrant. Similiter ut nemo admittatur, aut recipiatur in Oblatum, etiam ſub ſpe cuiuſcunq; pecuniarum quantitatis, abſq; eorundem Prioris generalis, & Viſitatorum licentia obtenta, & conuentualis Capituli, ubi huiuſmodi recipiendus eſt, conſenſu, pœna priuationis officiorum, & iuris utriuſq; ſuffragii contrafacientibus indicta.

De receptione nouitiorum ad habitum . Cap . XVI.

CVM AVTEM aliquis ad habitum reli
gionis recipiendus eſt , die , & hora ad
hoc præſtituta , Canonicis in loco Capi
tuli cógregatis , magiſter nouitiorum
ad iuſſum Prælati adducat recipiendum in Capitu
lum : qui cum eò peruenerit , proſternat ſe in medio ,
& interrogatus à Prælato , quid petat , reſpondeat
Miſericordiam dei , & ueſtram : poſteà ad iuſſum
Prælati erectus , iterùm ab eo interrogetur , quid pe
tat , reſpondeatq; nouitius Pater peto recipi ad habi
tum Ordinis ueſtri , & huius ſanctæ Congregationis ,
licet indignus ſim , & peccator . Tūc Prælatus interro
get eum (quanuis apud omnes eſſet notum) libér
ne ſit , an ſeruus : ſolutus , an coniugatus : ſecularis ,
an in aliqua religione profeſſus : an debitis implica
tus , an corpore ſanus : cui reſpondenti ſe eſſe libe
rum , ſolutum , non profeſſum , non obligatum debi
tis , nec corpore infirmum , exponātur conſequēter ,
quàm breuius fieri poterit , auſteritates Regulæ , &
Ordinis , inſidiæq; Diaboli Chriſti militibus præpa
ratæ , conſanguineorumq; frequentes inſultus : quo
aſſerente ſe ſub fiducia diuini auxilii uelle cuncta
ſeruare , ac pati , dicat Prælatus Dominus , qui incœ
pit ipſe perficiat , & Conuentus reſpondeat Amén :
deinde eodem modo ſubiungatur à Prælato , Con
uentu inuicem reſpondente ,

Ver. Sit nomen domini benedictum.

Reſ.

Reſ. Ex hoc, nunc, & uſq; in ſeculum.
Ver. Domine exaudi orationem meam.
Reſ. Et clamor meus ad te ueniat.
Ver. Dominus uobiſcum.
Reſ. Et cum ſpiritu tuo.
Orõ. Oremus: Deus, qui per coæternum filium tu/um cuncta creaſti, quiq; mundum peccatis inuete/ratum per myſterium ſanctæ incarnationis tuæ re nouare dignatus es, te ſupplices exoramus, ut eiuſ dem domini noſtri gratia ſuper hunc famulum tu um abrenuntiationem ſæculi profitentem, clemen ter reſpicere digneris, per quam in ſpiritu ſuæ men tis renouatus, ueterem hominem cum actibus ſuis exuat, & nouum, qui ſecundum deum creatus eſt, induere mereatur dominum noſtrum IESVM Chri ſtum filium tuum, qui tecum, & cum Spirituſan/cto uiuit, & regnat in ſæcula ſæculoꝝ. Reſ. Amén.
Et alia Oratio. Oremus: Domine IESV Chriſte, qui es uia, ſine qua nemo uenit ad patrem, quæſi mus clementiam tuam, ut hunc famulum tuum à carnalibus deſyderiis abſtractum per iter regularis diſciplinæ deducas: & qui peccatores dignatus es uocare dicens, Venite ad me omnes, qui labora/tis, & onerati eſtis, & ego reficiam uos, præſta, ut hæc uox inuitationis ita in eo conualeſcat, qua/tenus peccatorum onera deponens, & quàm dul/cis es guſtans, tua refectione ſuſtentari mereatur: & (ſicut atteſtari de tuis ouibus dignatus es) agno ſce eum inter oues tuas, ut ipſe te agnoſcat, & alie/

num non ſequatur, ſed te: nec audiat uocem alie norum, ſed tuam, qua dicis Qui mihi miniſtrat, me ſequatur: qui uiuis, & regnas in ſæcula ſæculorum. Reſ. Amén.

Item alia Oratio. Oremus: Sancteſpiritus, qui te deum, ac dominum reuelare mortalibus dignatus es, poſtulamus immenſam tuæ pietatis gratiam, ut ſicut ubi uis ſpiras, ſic & huic famulo tuo affectum deuotionis indulgeas: & quoniam ſapientia tua eſt conditus, tua quoq; prouidentia gubernetur, quem iuxta ſibi conſuetam gratiam unctio tua doceat, & per interceſſionem beati Auguſtini, quem præcipuum huius ſanctæ inſtitutionis legiſlatorem dediſti, & omnium ſanctorum, eum à uanitate ſæculi conuerte, & ad obſeruantiam huius ſancti propoſiti fac eum ita certatim feruere, ut in tribulationibus, & anguſtiis tua indeficienti conſolatione ualeat reſpirare: & ut iuſtè, & piè per ueram humilitatem, atq; obedientiam in fraterna charitate fundatus, quod te donante promittit, felici perſeuerantia compleat: quod ipſe preſtare digneris, qui cum deo patre, ſanctoq; unigenito filio eius domino noſtro IESV Chriſto uiuis, & regnas deus per infinita ſæcula ſæculorum. Reſ. Amén.

Tum uerò exuat eum genibus flexis ante ſe manentem ſecularibus ueſtibus Prælatus dicendo Exuat te dominus ueterem hominem cum actibus ſuis: ac ſubinde induat ſacræ religionis ueſtibus, dicendo Induat te dominus IESVS Chriſtus nouum hominem,

nem,

nem, qui ſecundum deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate ueritatis. Cantor autem incipiat hymnum Veni creator ſpiritus, & tum Canonici bini ordine procedentes eant, iunioribus præcedentibus, in cho rum cantando interim ipſum hymnum: poſt quos omnes ultimo loco magiſter nouitiorum cum noui tio ſequatur. Canonicis itaq; in ſedibus ſui ſtanti/ bus, & proſequētibus hymnum maneat nouitius an te gradus altaris genibus flexis, magiſtro nouitio/ rum in ultima chori ſede ſtante. Deniq; hymno completo, & ſubiuncto à Cantoribus.

Ver. Emitte ſpūm tuum, & creabitur: & à Cōuentū.

Reſ. Et renouabis faciem terræ, à Prælato, & Con uentu alternatim dicatur.

Ver. Dominus uobiſcum.

Reſ. Et cum ſpiritu tuo.

Oro. Oremus: Deus, qui corda fidelium Sanctiſpi ritus illuſtratione docuiſti, da huic famulo tuo in eodem ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper con ſolatione gaudere, Per Chriſtum dominum no/ ſtrum. Reſ. Amen.

Tum ducat magiſter nouitiorum indutum nouitium ad Prælatum, qui aſpergens eum aqua benedicta re cipiat ad oſculum pacis, & ſimiliter cæteri Canonici primùm, qui ſunt ex choro Prioris, deinde qui ſunt ex choro Vicarii ordine, quo ante de thurificatio/ ne dictum eſt, dicendo ipſi Pax tecum, & nouitius reſpōdeat Et cum ſpiritu tuo. Demùm ſi ueſtitus no/ uitius Clericus futurus eſt, ante Prælatum iterùm ge

nua flectat. & Prælatus ei in ſignum coronæ, quam geſtare habet, in quatuor partibus circum caput particulam aliquam capillorum incidat, & nomen imponat: commendetq́ illum magiſtro, qui curam illius habeat. In fine omnium dimittat Prælatus Conuentum ſic alternatim cum eo dicens.

Ver. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.

Reſ. Qui fecit cœlum, & terram.

Ver. Benedicite. Reſ. Deus.

Ver. Dominus nos benedicat, & ab omni malo defendat, & ad uitam perducat æternam: & fidelium animæ per miſericordiam dei requieſcant in pace. Reſ. Amén.

Et quoniam memoria hominum labilis eſt, ordinamus, ut in quolibet noſtrorum Conuentuum habeatur liber, in quo ordinatè conſcribantur omnia nomina Canonicorum, ac fratrum noſtrorum, & dies, quando uel ad habitum, & profeſſionum recipiuntur, uel diem claudũt extremum, uel (quod abſit) ab Ordine defecerint, atq; apoſtatarint: quo etiam in libro annotetur dies, quo ad ſacros ordines promouentur Canonici noſtri faciendo de anno, & menſe, & ordine mentionem expreſſam.

De *inſtitutione nouitiorum*. Cap. XVII.

SED quoniam nouellæ plãtationes, niſi irrigentur frequenter, non creſcunt, ſed exiccantur: propterea curet Prælatus Conuentus Canonicum aliquem

religioſum

religioſum pariter, & diſcretum præponere nouitiis,
qui eos doceat, & exerceat, exponendo ſæpius Re
gulam, & Cōſtitutiones Ordinis, uitaſq; ſanctorum
Patrum, & eorum collationes, nec non alios libros
ſpirituales legēdo cum eis, inſtituendoq́; eos ad hu
militatem, ad omnem māſuetudinem, ad omnimo
dam obediētiam, & ad integram abdicationem ꝓ/
priæ uoluntatis, inducatq; eos obſeruare mores Or
dinis concorditer: omnem ſingularitatem fugere:
deuotè, ac libenter orare: frequenter, pureq́; confite
ri: eos demùm docens quomodo ubiq;, & in rebus
omnibus ſe habere debeant: quibus etiam cum ante
ipſum ueniam petierint de ſuis defectibus, & negli
gentiis, pœnitentiam imponat. Intra. tempus qui/
dem ipſorum probationis inſtruātur nouitii diligen
ter pſalmodia, & cantu, & aliis ad diuinum offici/
um pertinentibus, & iis quantum fieri poterit, Re/
gula, & Conſtitutiones (ut dictum eſt) exponātur:
in aliis autem plus, minus'ue occupentur, prout
ſecundum deum Prælato, ſeu magiſtro ipſorum ui
ſum fuerit expedire. Studeat inſuper magiſter no
uitiorum ipſos nouitios uerbis, & exemplis robora
re circa tolerantiam tentationum, zelum aſſumptæ
religionis, paupertatis amorem, rerum ſecularium
abdicationem, atq; omnium fugam mundanorum,
tum maximè, cum uiderit eos tentatos, aut depro/
pinquo per quaſcunq; perſonas, uel qualitercunq; ten
tandos, eoſdem in primis ſuarum inſtantia oratio/
num iuuando. Item nouitii intra annum probationis

ipſorum ad longinquas partes, niſi ob cauſam neceſ ſariam, non mittantur: neque ipſorum ueſtes ante eorum profeſſionem alienentur: neq; ipſi ad ullos ſacros ordines promoueantur. Prouideat præterea quilibet Prælatus, aut Præſidens in ſuo Conuentu aliquem idoneum Canonicum nouitiis Conuerſis, & Commiſſis præponere, qui eis ſimiliter legat quoti die, uel ſaltem diebus feſtis aliquid ex libris ſpiri/ tualibus, exponatq́; Regulam, & Conſtitutiones, ac alia eos doceat, quæ ad regularem obſeruantiam pertinent, & ſtatui eorum ſunt cõgrua, & ſaluti uti/ lia: ut & ipſi, ſicut cæteri clerici, ualeant intellige/ re quæ obſeruare debeant, quæq́; uitare, ſeu fuge/ re teneantur.

De diſcusſione uitæ, et morum nouitiorum. *Cap*. XVIII.

CVM expeditos ab omnibus mundi ne xibus oporteat eſſe Abraæ uernacu/ los, qui Chriſti militiam in ſacra reli gione profitentur, ſatagẽdum eſt, ut purus, & nudus, & ab omnibus mundi impedimen tis expeditus ad ꝓfeſſionem ueniat, qui debet ꝓfi teri. Itaq; officium Prælati, & magiſtri nouitiorum erit ante profeſſionem tacitam, uel expreſſam con ſyderare, nunquid ille, qui profiteri debet, habeat aliqua ſibi in ſeculo expedienda, uel cum quibuſ cunq; perſonis quicquam componendum, aut deter minandum: ut is cum ipſorum conſilio faciat, quæ facienda ſunt pro honeſtate, ac ſalute. Item eorum

dem

dem Prælati, & magiſtri nouitiorum intereſt conſy derare qualem uitam, qualeſq; mores conuerſando duxerit cum fratribus nouitius intra tempus proba tionis ipſius: quòd ſi ille minus benè ſe geſſerit, prudenter examinent, etiam cum conſilio aliorum Diſcretorum Canonicorum, ſit ne tolerãdus, an re iiciendus, an de eius emendatione ſperandum. Si primum illud, uel poſtremum hoc uiderint, pote runt ad terrorem profeſſionem diferre ꝓteſtatione facta, ſe per lapſum temporis non intendere ipſum eſſe profeſſum, nutriẽdo eum tamen ſub ſpe cum di ſciplina, prout nouerint expedire. Vbi uerò eum uiderint incorrigibilem, & reiiciendum, ſi ueriſimili ter appareat eum alteri religioni fore aptum, illam ei, quantùm poſſunt, perſuadeãt, ut nunquàm reuer tatur ad ſeculum: alioquin cum omni mãſuetudine, & charitate fama eius (quantùm fieri poteſt) ſerua ta, reſtitutis eidem ueſtibus ſecularibus, quas ad re ligionem ueniens ſecum attulit, ad propria loca ip ſum remittant exhortando, ut etiam in ſeculo benè, & honeſtè uiuere conetur, ut ſic faciendo, etiam in tali ſtatu (quod non eſt impoſſibile) ſaluari merea tur. Cum autem quis profiteri habet, petat prius in Capitulo cum omni humilitate, & deuotione ad pro feſſionem recipi: deinde Prælatus tempore, quo ipſi uidebitur, excluſis nouitiis, recipiendum Canonicis proponat in Capitulo, coram quibus magiſter noui/ tiorum ſecundum conſcientiam ſuam de illo teſtimo nium reddat: & ſi aliquis pro eo, uel contra eum

uellet aliquid dicere, petita à Prælato licẽtia, quam is negare non poſſit, ſurgens religioſè, & modeſtè dicat, quod ſibi ſecundum deum pro bono religionis uidebitur eſſe dicendum: deinde auditis omnibus, qui aliquid dicere uoluerint, ſcrutentur ipſorum Canonicorum uolũtates, & uota, ut ante Capitulo quintodecimo continetur: & accedente conſenſu omnium, uel ſaltem maioris partis eorum, ſtatuatur dies, & hora ad id faciendum.

De profeſſione. Cap. XIX.

CONSTITVTA itaq; die, & hora de mandato Prælati omnibus in Capitulo congregatis, qui profiteri debet, accedat, & proſternens ſe in medio Capituli ante Prælatum, aut Præſidẽtem petat humiliter ad profeſſionem recipi: poſt cuius petitionem Prælatus ei ſuccinctè declaret, ita ut benè intelligat uim profeſſionis, quam facere cupit. Et interrogatus utrùm cum eo propoſito profiteri intendat, ut omnia in regula, & cõſtitutionibus Ordinis tradita obſeruet, ſi reſponderit ſic, dicat Prælatus, & Conuentus alternis.

Ver. Augeat Dñs in te fidei, ſpei, & charitatis augmẽtum ut ualeas implere præcepta. Reſ. Amén.

Ver. Spirituſſanctus ſuperueniat in te, & uirtus altiſſimi te à peccatis cuſtodiat. Reſ. Amén.

Ver. Dominus cuſtodit te ab omni malo, cuſtodiat animam tuam Dominus. Reſ. Amen.

Ver.

Ver. Domine exaudi orationem meam.
Reſ. Et clamor meus ad te ueniat.
Ver. Dominus uobiſcum. Reſ. Et cum ſpiritu tuo.
Oro. Oremus: Domine IESV Chriſte fili dei uiui, qui es uerus, & omnipotens deus, ſplendor, & imago patris, & uita æterna, qui tuis diſcipulis aſſeruiſti, ut quicunq; uult poſt te uenire, ſeipſum abneget, & ſuam crucem tollens te ſequatur: quæſimus clementiam tuam, ut hunc famulum tuum, qui iuxta uerbum tuum ſeipſum abnegare, ſuamq; crucem tollere, & te ſequi deſyderat, ac ſanctæ religionis profeſſionem ſponte emittere cupit, benedicẽdo benedicas, ſemper, & ubiq; protegas, à periculis omnibus eruas, à uinculis peccatorum abſoluas, dies, & actus eius in tua pace diſponas, proſpera cuncta concedas, ut inter præſentis ſæculi anguſtias tuo ſemper munere gubernetur. Illumina eum etiam lumine gratiæ tuæ, & concede propitius, ut ſicut luminaria igne uiſibili accenſa nocturnas depellũt tenebras, ita cor huius inuiſibili igne, ideſt Sanctiſpiritus ſplendore illuſtratum omnium uitiorum careat cæcitate, ut purgato mentis oculo ea cernere poſſit, quæ tibi ſunt placita, & ſuæ ſaluti utilia: quatenus poſt huius maris caliginoſa diſcrimina ad lucem indeficientem peruenire mereatur, per te Chriſte ſaluator, qui in trinitate perfecta uiuis, & regnas deus per omnia ſecula ſeculorum. Reſ. Amén.
Tunc ſi profeſſio fit Priori generali, nouitius ſic ge

nibus flexis ponendo manus ſuas in manibus dicti Prioris generalis profiteatur hoc modo dicens, Ego frater. I. facio profeſſionem, & promitto obedientiam Deo, & beatæ Mariæ, & beato Auguſtino, & tibi fratri. A. Priori generali Canonicorum Regularium Congregationis. s. Saluatoris, Ordinis. s. Auguſtini, & ſucceſſoribus tuis ſecundum regulam beati Auguſtini, & inſtitutiones Canonicorum eiuſdem Ordinis, quod ero obediẽs tibi, tuiſq; ſucceſſoribus uſq; ad mortem. Cum uerò fit alteri Prælato, uel Præſidenti cuicunq; profeſſio, ea ſic facienda eſt. Ego frater. I. facio profeſſionem, & promitto obedientiam Deo, & beatæ Mariæ, & beato Auguſtino, & tibi fratri. A. Priori (uel pro ratione perſonæ Viſitatori, Abbati, Præpoſito, Præſidenti) monaſterii. s. s. uice fratris. P. Prioris generalis Canonicorum Regularium Cõgregationis. s. Saluatoris, Ordinis. s. Auguſtini, & ſucceſſorum eius ſecundum regulam beati Auguſtini, & inſtitutiones Canonicorum eiuſdem Ordinis, quòd ero obediens tibi, tuiſq; ſucceſſoribus uſq; ad mortem. Cui profeſſioni (ſi fieri poteſt) interſit notarius, qui de ea publicum cõficiat inſtrumentum: alioquin alio tempore id fiat, nec omnino prætermittatur, annoteturq; in libro (ut ſupra capitulo ſextodecimo dictum eſt) cum nomine notarii. Poſt hæc indumenta profitenti danda, ideſt rochetus, & ſcapulare benedicantur à Prælato, & Conuentu alternatim ſic dicentibus. Ver. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.

Reſ.

Reſ. Et ſalutare tuum da nobis.
Ver. Domine exaudi orationem meam.
Reſ. Et clamor meus ad te ueniat.
Ver. Dominus uobiſcum. Reſ. Et cum ſpiritu tuo.
Oro. Oremus: Domine IESV Chriſte, q tegimen noſtræ mortalitatis induere dignatus es, obſecramus immenſam tuæ largitatis abūdantiam, ut hoc genus ueſtimentorum, quod ſancti Patres ad innocentiæ, & humilitatis indicium abrenuntiantes ſeculo ferre ſanxerunt, ita benedicere digneris, ut, qui hoc uſus fuerit, te induere mereatur Chriſtum dominum noſtrum. Reſ. Amén.
Tum uerò Prælatus aſpergat aqua benedicta primùm indumenta, deinde ipſum profitentem, quem poſteà exutum ſcapulari nouitiorum, & rocheto, induat ſcapulare profeſſorum, & rochetum dicēdo, Induat te Dominus IESVS Chriſtus nouum hominem, qui ſecundum deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate ueritatis. Deinde ſubiūgat aliam orōnem.
Oremus: Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & hunc famulum tuum benedicere dignare, cui in tuo ſancto nomine habitum ſanctæ profeſſionis imponimus, ut te largiente deuotè in ſancta Eccleſia tua pſiſtere, & uitam percipere mereatur æternam, Per Chriſtum dominum noſtrum. Reſ. Amén.
Poſt hæc Prælatus donet ei communem ſocietatem Congregationis proferens hanc exhortationem: S. Auguſtini. Omnes quanuis per gratiam baptiſmi ſimus fratres in Chriſto, & unum pr̄em habeamus

in cœlis, ſi eius præceptis, prout poſſumus, obſe quimur: proculdubio tunc maximè unimur, quan do orationibus, uel beneficiis nos inuicem copula mus: quemadmodum in primitiua Eccleſia ſancti Patres, quibus cor unum, & anima una erat, fuiſ ſe leguntur: quorum plures Chriſti amore, men tis ardore ſuccẽſi poſſeſſiones, & facultates rerum uendentes, cõgregata in unum pretia ad pedes apo ſtolorum deferebant, gaudentesq; apoſtoli acce pta tribuebant omnibus, prout opus erat. Sicq; iſte nihilominus, deo inſpirante eorũ exemplo com monitus noſtris optat adiungi conſortiis: iccircò damus ei communem ſocietatem uiuẽdi nobiſcum, quantùm à Domino poſſumus promereri, & no ſtrum eſt elargiri: quatenus cum electis à remunera tore omnium bonorum ualeat præmia repromiſſa percipere, Per Chriſtum dñm nrm. Reſ. Amén.

Deinde recipiatur profeſſus ad oſculum pacis, ut ſupra in Capitulo De receptione nouitiorum ad ha bitum dictum eſt. Vltimo loco Prælatus faciat ei abſolutionem plenariam Ordini noſtro à ſanctæ me moriæ domino papa Gregorio duodecimo, & Iulio ſecundo conceſſam, hoc modo. Primùm dicat ab ſoluendus Confiteor totum, & Prælatus ſubiungat Miſereatur, & Indulgentiam, & ſubinde dicat. Au thoritate dei, & beatorum Petri, & Pauli apoſtolo rum eius, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ mihi commiſ ſa, & tibi conceſſa ego te abſoluo ab omni ſenten tia excommunicationis maioris, uel minoris, & re

ſtituo

ſtituo te unitati fidelium, & ſanctis ſacramētis Eccleſiæ: & authoritate mihi commiſſa, & tibi conceſſa te abſoluo ab omnibus peccatis tuis contritis, confeſſis, & oblitis. Item authoritate dei, & beatorum Petri, & Pauli apoſtolorum eius, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & etiam authoritate domini noſtri ſummi Pontificis mihi in hac parte commiſſa, & tibi conceſſa, & quantùm debeo, & gratum in oculis diuinæ maieſtatis fuerit, te abſoluo ab omnibus pœnis tibi in purgatorio debitis propter culpas, & offenſas, quas cōtra deum cōmiſiſti (ut in priuilegio Ordini noſtro à ſanctæ memoriæ dño papa Gregorio duodecimo, & Iulio ſecundo conceſſo plenius continetur) in nomine patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amén. Facta itaq; abſolutione modo præordinato, ei qui (ſicut prædictum eſt) profeſſionem fecit, iniungat aliquam pœnitētiam, útpote Septempſalmorum pœnitentialium. Et tunc Cantore incipiente hymnum Magne pater Auguſtine, cæteri Canonici proſequantur uſq; in finem alternatim cantādo: quo completo, dicantur ſuo ordine.

Ver. Ora pro nobis beate pater Auguſtine.

Reſ. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Orō. Oremus: Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens deus, & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges, intercedente beato Auguſtino confeſſore tuo, atq; pontifice, conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum. Per Chriſtum dominum noſtrum. Reſ. Amén.

His dictis ſubiungat idem Prælatus uerſiculum Ad/
iutorium noſtrum, & cætera, ut antè capitulo ſex/
todecimo expoſitum eſt. Ipſe tamen, qui tum pro/
feſſionem fecit, ſub diſciplina magiſtri ad nutum
Prælati, uel Præſidentis adhuc perſeuerabit. Volu
mus tamen, ut nullus planè cēſeatur ꝓfeſſus, etiam
poſt lapſum Anni, niſi expreſsè profeſſus fuerit,
& habitum profeſſorum acceperit.

De obedientia, & ſubiectione. Cap. XX.

VT AVTEM obedientiæ, & ſubiectio/
nis fructus ubiqꝫ, & ſemper à cunctis
indifferenter percipiatur, præſenti ordi
natione ſtatuimus, ut omnes Congre/
gationis perſonæ tam Canonici, quàm Conuerſi, &
Commiſſi, cuiuſcūqꝫ dignitatis, ſtatus, gradus, aut
conditionis fuerint, primùm ſint ſub obedientia Ca
pituli generalis, Prioris generalis, & Viſitatorum:
deinde ſub obedientia illorum Prælatorum, in quo/
rum monaſteriis fuerint pro cōuentualibus aſſignati.
Idem etiam intelligi uolumus de Canonicis, & fra/
tribus ad alia loca quacunqꝫ de cauſa declinantibus,
ut ſcilicet ſub Prælatorum locorum illorum obedi/
entia, dum præſentes extiterint, tanquàm eoꝝ ſub/
diti cum omni manſuetudine, & humilitate ſe habe
ant. Ipſi quoqꝫ Prælati ad alios Conuentus aliquan
do declinantes, cum omni humanitate, & reuerentia
Prælatis illorum Conuentuum ſe exhibebunt. De/
claramus tamen, atqꝫ decernimus, ut pro communi

charitate, paceq́ꝫ inter Canonicos noſtros ſeruanda, Venetiis, & ubicũqꝫ in una ciuitate duo fuerint monaſteria, inuiolabiliter huiuſmodi in procedendo ordo ſeruetur, uidelicet ut foris in publicis proceſſionibus Prælati illoꝝ monaſterioꝝ, uerbi gratia Priores .s. Saluatoris, & .s. Antonii Venetiaꝝ, primum, ac digniorem teneant locum: poſteà Viſitatores, ſi aderunt: deinde Vicarii eorundem Conuentuum: poſt quos Prælati aliorum monaſteriorum (ſi qui tum fortè aderunt) ſequantur. Idem fiat tempore proceſſionum prædictarum intus in monaſteriis procedẽdo, prætterquàm quòd Prior .s. Saluatoris in monaſterio .s. Antonii locum ſub Vicario Conuentus illius tenebit: quod idem uiciſſim de Priore .s. Antonii in monaſterio .s. Saluatoris intelligendum eſt. Similiter Vicarius .s. Saluatoris in monaſterio .s. Antonii locum ſub Prælatis cõuentualibus, qui tum ibi intererunt, & ſuper cæteros Canonicos conuentuales habebit, quod ipſum de Vicario quoque .s. Antonii in monaſterio .s. Saluatoris ſtatuẽdum eſt: reliquo autem anni tempore ſemper utriqꝫ Vicarii profeſſionis ſuæ locum retineant. Ad Capitulum autem generale congregatis Canonicis noſtris, Prior generalis locum primum teneat: ſecũdum Prælatus illius Conuentus, ubi capitulum celebratur, quem uigore præſentis conſtitutionis Vicarium generalem, ipſo Capitulo generali durãte, eſſe decernimus: poſt hũc ſequãtur Viſitatores, & Definitores: tum Prior generalis ſuperioris anni, qui iam officio renũtiauit:

poſteà Prælati conuentuales quiſq; ſecundum pro/ feſſionem ſuam: deinde Procurator gñalis, & poſt eum Vicarius Conuentus, qui in omnibus, ut anteà abſentibus ſupradictis, circa curam Conuentus ſuo utatur officio: poſtremò cæteri tam ſocii Prælatorum, quàm Canonici conuentuales pro ſua quiſq; profeſ ſione ordinatè locentur: Viſitatores autem omnes, cum ipſo actu uiſitationis fungũtur officio, atq; eti/ am extra uiſitationem in monaſteriis quidem locum ſuum teneant ſub Prælatis eorum Conuentuum, in quibus ſe repererint, & ſuper eorum Vicarios, atq; omnes alios aliorum Conuentuum Prælatos: ſed in itinere ſuper omnes monaſteriorum Prælatos. Ipſi etiam Prælati conuentuales extra ſuos Conuentus in aliis monaſteriis locum ſub Prælatis, & ſub Vicariis illorum tenebunt. Nec tamen propter hoc uolumus ipſos Viſitatores extra tempus uiſitationis ſuæ in ali/ quo ſe intromittere circa regimen domus: ſed Vica rii ſuum ipſi officium perinde exerceant in omnibus, & per omnia, acſi prædicti Viſitatores præſentes non eſſent; exceptis iis, quæ ſunt dignitati annexa, ut in benedictionibus, & confeſſione ad Primam, & ad Completorium, & in primis antiphonis, & ſimilibus: niſi Prior generalis, aut Prælatus conuentualis maio/ rem ipſis Viſitatoribus contulerit authoritatem: ipſis tamen Viſitatoribus liberam eligendi ſibi confeſſo/ rem tenore præſentium facultatem concedimus: qui/ bus etiam uolumus, ut Conuentus, quibus ipſi aſcri pti fuerint, equos pro facienda uiſitatione prouidere

teneantur,

teneantur, qui ea peracta ſuis Conuentibus reſignen-
tur. Cæterorum autem fratrum iuniores ſenioribus
cedant: quorum iuniores eſſe declaramus primùm
quidem Commiſſos, deinde Conuerſos, ex quibus
nouiſſimos ad habitum recipiendos iuniores eſſe cen
ſemus: quod & de clericis uſq; ad ſacros ordines in-
telligi uolumus. Exiſtentium uerò in ſacris Subdia
conos Diaconis, Diaconos autem Sacerdotibus iu
niores arbitramur. Si quis autem ante lapſum anni
profitetur, non propter hoc acquirat ſibi locum ſupe
riorem, niſi poſt expletum annum à die receptionis
ad habitum. Iuniores itaq;, ut declaratum eſt, infe
riorem locum in Eccleſia, & ubiq; ſemper teneant,
authoritate tamen Prælati ſemper abſoluta, qua ei li
cebit præferre illum, quem ex aliqua rationabili cau
ſa ad honorem dei præferendum iudicauerit. Illud
tamen ad euitãdas Canonicorum noſtrorum murmu
rationes, & ſcandala declarãdo addimus, ut profeſſi
alterius Congregationis ad habitum noſtræ recepti,
cuiuſcunq; gradus, & cõditionis extiterint, non poſ-
ſint ne per Capitulum quidem generale, ac multò mi
nus per Priorem generalem, & Viſitatores ullo mo-
do de loco profeſſionis ipſorum in priore Congre-
gatione in poſterum diſpenſari: ſed locum ubique
teneant profeſſionis in Cõgregatione noſtra emiſſæ.
Nouitii, & cæteri iuniores, ſuos teneantur honorare
magiſtros, & iiſdem obedientiam, & deuotionem
exhibere ſingularem: quod & reliqui, ideſt iuniores
erga ſeniores inuicem obſeruantes, religioſè, humi-

liter, ut deuotè præſtare debeāt; & cum ſibi inuicem obuiauerint, nutu capitis mutuò ſe ſalutent. In Capitulo uerò, ubi omnes conuenire debent, & in quo de communibus rebus tractatur, omnibus liberè loqui liceat (nec cuiquam ſilentium imponatur, cum liberam, non coactam deceat uniuſcuiuſq; eſſe uoluntatem) ſeruata tamen ſemper debita tam moꝝ, quàm uerborum honeſtate. Caueant ergo tam Prælati, quàm Subditi, cum aliquid proponitur in Capitulo, ne clamoribus, aut uerbis, & actibus incompoſitis uideantur ad ſuas aliorum Canonicorum inflectere uelle uoluntates. Sed ſiquis ibidem aliquid incompoſitè, nec cum ea manſuetudine, & humilitate, quam decet ſeruos dei, locutus fuerit, ne tunc quidem, ſed alio loco, & tempore admoneatur, atque etiam ei ſecundum culpæ exigentiam pœnitentia iniungatur. Conſuetudines inſuper particulares diu in aliquibus Conuentibus tam in Eccleſia, quàm in domo obſeruatas Prælati non ita facilè immutent, nec alias nouas ipſi inſtituant abſq; conſenſu maioris partis ſui quiſq; Conuentus, & licentia Prioris generalis, & Viſitatorum.

De modo, & tempore promouendi Canonicos ad ſacros Ordines. Cap. XXI.

ORDINAMVS inſuper, ut nullus Canonicorum noſtrorum ante profeſſionem expreſſam poſſit ad ullos ordines promoueri; facta uerò profeſſione, Prælatus,

latus, quãdo ſibi uidebitur, poterit Canonicos ſuos ad minores ordinandos curare. Elapſo autem anno uno ab emiſſa profeſſione, Prior generalis, & Viſitatores tempore uiſitationis in ſingulis Conuentibus diligenter examinent, atq; diſcutiant promouendos ad ſacros ordines, utrùm ſint idonei, nec'ne: quorum diſcuſſio, atq; examinatio deferatur ad ſequens Capitulum generale, Priori'q; generali, & Viſitatoribus tradatur, ut ipſi approbent, uel ſecus, prout ſibi uidebitur ad honorem dei. Nolumus tamen, ut aliquis ad Subdiaconatus ordinem ante triennium à ſuſceptione habitus Congregationis, ad Diaconatus autem ante quinquennium, ad ſacerdotii uerò ante ſeptennium completum ulla ratione ualeat promoueri: excepta tamen ſemper authoritate Prioris generalis, & Definitorum, qui poterunt cum aliquibus diſpenſare: quod tamen facere non ualeant, niſi qui promouendus eſt, annum ætatis ſuæ trigeſimum attigerit, atq; etiam idoneus ab ipſis comprobatus fuerit: nec tamen hunc talem ad ſacerdotium promouendum, niſi poſt triennium ab emiſſa profeſſione, nec ei pluſquàm unum ordinem ſingulis annis cõferendum curare poſſint: iiſdem tamen Priori generali, ac Definitoribus tempore Capituli gñalis diſpẽſare licebit, ut ad ſacerdotium aliqui Canonicorum nroꝝ ꝓmoueãtur etiam in uigeſimotertio ætatis anno conſtituti, dummodo annum à Congregationis ingreſſu ſeptimum attigerint, atq; idonei ab ipſis cõprobati fuerint, iuxta priuilegium à felicis me/

moriæ dño Papa Clemente ſeptimo Ordini nr̃o con/
ceſſum. Ideóq;, excepta forma prædicta, nullus om
nino, etiam Prior generalis, & Viſitatores quacunq;
de cauſa intra annum præſumant aliquem Canonico
rum noſtrorum ad ſacros ordines promouendum cu
rare ſub pœna grauioris culpæ, quam contrafacien/
tes illicò incurrant: & qui ſic ordinatus eſt, ab eo or
dine uſq; ad determinationem Capituli generalis in
omnibus, & per omnia, ac ſi ordinatus non fuiſſet,
perinde ſuſpenſus exiſtat.

De rebus eccleſiaſticis, & temporalibus non alienandis. Cap. XXII.

NVLLVS autem Canonicorum Ordinis
noſtri, cuiuſcunq; gradus, uel condi/
tionis exiſtat, etiam Prior generalis,
cæteri'q; Officiales abſq; Capituli ge/
neralis licentia audeant locum aliquem nouum acci
pere, aut iam accepto quoquomodo renuntiare, uel
de eo aliter contrectare. Si uerò intra annum ali/
quod monaſterium Congregationi noſtræ oblatum
fuerit, quod ſine periculo uſq; ad Capitulum gene/
rale differri non poſſit, tunc illud acceptari poſſe
concedimus cum conſenſu Prioris gñalis, ac Viſita/
torum, & quatuor Prælatoꝝ cõuentualium, qui pro/
pinquiores erunt loco, ubi Prior generalis ſe repere
rit. Poſſit tñ Prælatus ꝗlibet cum licẽtia Prioris ge
neralis, ac Viſitatorum, & cõſenſu maioris partis ſui
Conuentus acceptare, & uniendum curare quodlibet

Beneficium

Beneficium ſibi oblatum pro membro ſui monaſterii. Poſſeſſiones uerò, uineas, domos, cæteraq́; huiuſmodi bona immobilia uendere, alienare, ſeu ꝑmutare, aut in emphitheoſim perpetuam dare: item aliquod liuellum ad lineam maſculinam, uel locationem aliquam ad tertiam, aut ad ſecũdam generationem, aut etiam ad uitam duntaxat, uel ad longius tempus, quàm per Paulinam cauetur, nullus omnino nec Prælatus, nec Procurator monaſteriorum, etiam accedente Conuentus ſui conſenſu, ſub quocunq; commodi, utilitatis, aut lucri prætextu facere ualeat abſq; certa, & expreſſa Capituli generalis, aut etiam intra annum Prioris generalis, ac Viſitatorum licentia per patentes eorum literas obtenta ſub pœna priuationis Officiorum ſuorum, & uocis actiuæ, & paſſiuæ, quam ſtatim contrafacientes incurrãt, exceptis tamen conſuetis liuellariis, quæ etiam cum ad monaſterium, finita linea, ſeu alio quouis modo redierint, perſonis potentibus, aut eccleſiaſticis, uel piis locis concedi, uel liuellari non poſſint. Prælatus igitur, aut Procurator, cum aliquid uendendum etiam ad uitam tantùm, ſeu permutãdum eſſe pro Conuentus ſui commodo, uel utilitate ſibi uidebitur, nil foris cum aliquo concludat, niſi prius intus in Conuentu facta inter Canonicos deliberatione, conſenſum maioris partis habuerit: & tunc ſi in euidentem Eccleſiæ utilitatem id tendere iudicabitur, Prior generalis unà cum Viſitatoribus, uel Viſitatores ipſi eius uices gerentes ſuam interponant authoritatem,

mandantes ſemper pretium inueſtiri , ſuper quibus conſcientiæ ipſorum Conuentuum onerētur : hoc tamen addito , ut in uenditionibus , permutationibus , & alienationibus iis , quæ uigintiquinꝗ ſcutatorꝝ aureorum pretium excedunt , præter illa , quæ ſuperius decreta ſunt , Prælati , ſeu Præſidentes eorum monaſteriorum , ubi uenditiones , permutationes , & alienationes huiuſmodi faciendæ erunt , aliorum quoꝗ duorum Prælatorum Ordinis noſtri , qui uiciniores fuerint , aut qui commodius haberi poterunt , ſententiam requirere teneantur : qui quidem in rem præſentem uenientes , ſi in euidentem & ipſi Conuentus illius utilitatem id cedere iudicauerint , aſſenſum huiuſmodi alienationibus ſuum præſtēt : nec aliter omnino rem ipſam tranſigi uolumus , atꝗ decernimus . Et hanc quidem ordinationem , ac ſtatutum extendi etiam uolumus , & obſeruari decernimus in rebus eccleſiaſticis , & aliis pretioſis mobilibus non alienādis , ut ſunt libri , ueſtes ſacræ , ſeu paramenta , calices , & huiuſmodi , quæ ēt in pignus dari non poſſint . Talia quoꝗ mobilia non trāſportentur è propriis Conuentibus ad alios , niſi de expreſſa licentia illius Prælati , & Vicarii , unde aſportantur . Cum autem libri , & alia huiuſmodi etiam alicui commodātur , ſemper (ſi honeſtè fieri poterit) aliquod mutuò pignus , uel ſaltem chirographum manu propria recipientis habeatur . Et quoniam memoria hominum labilis eſt , habeatur liber , in quo de prædictis libris , & cæteris huiuſmodi commodatis , aut ab aliis commodatò acceptis

ceptis mentio fiat, per illum ſcribendis, quem ad hoc Prælatus ipſe ordinauerit. Multò minus etiam Canonicis noſtris liceat indumenta, libros, & id genus alia ad uſum ſibi à Superioribus ſuis cõceſſa, atq; permiſſa uẽdere ſub pœna priuationis actiuæ, ac paſſiuæ uocis ad triennium: conuerſi uerò, atq; Commiſſi, qui in eo deliquerint, pœnæ grauioris culpæ ad tres menſes ſubiaceant. Adhæc uolumus, & mandamus, ut in quibus monaſteriis quotidianæ eleemoſynæ abũdantes, ac largæ accipiuntur, cuiuſmodi ſunt monaſteria. s. Saluatoris, & . s. Antonii Venetiis: item. s. Mariæ Annuntiatæ à Vado Ferrariæ, Maioris Tauriſii, Gratiarum tam Fornouii, quàm Cortonæ, Coronatæ extra Genuam, & Foriſportæ Lucæ: ſimiliter monaſteria. s. Ioannis Euangeliſtæ uel Brixiæ, uel in Vrbe ueteri. s. Laurentii extra muros. s. Ambroſii extra Eugubium, ac ſiqua ſunt adhuc alia, aut in poſterum erunt Congregationis noſtræ monaſteria, in quorum Eccleſiis plenariæ indulgẽtiæ, aut ſtationes perpetuæ, uel etiam pro tempore habentur: in iis, inquam, monaſteriis capſula quædam duabus clauibus obſignata habeatur, in quam oẽs pecuniæ tam pro miſsis, quàm pro quacunq; alia eleemoſyna, tam à Sacriſta, quàm ab aliis Canonicis, & fratribus receptæ coniiciantur. Clauium autem altera penes Prælatum, penes Vicarium altera, capſula uerò penes Sacriſtam ſit: nec inde eximi pecuniam huiuſmodi liceat, niſi ipſi tres unà adſint, & pecuniam numerent. Quicunque igitur acceptam pecuniam

in eam capſulam (ut dictum eſt) non coniecerint, tam Sacriſta, quàm alii Canonici, aut Prælato, ſeu Sacriſtæ cõiiciendam non tradiderint, ſtatim actiua, & paſſiua uoce priuati intelligantur, ac ſint: Cõuerſi uerò, & Commiſſi pœnæ grauioris culpæ ad tres menſes ſubiiciantur. Illud etiam ad religionis decorum, ac puritatem retinendam addimus, atque inuiolabiliter obſeruãdum ſtatuimus, ut nullus Canonicorum, aut fratrum noſtrorum, cuiuſcunq; gradus, & conditionis exiſtat, ſub quouis quæſito colore, ac prætextu præſumat ullas ſecretas facere ſtillationes, uel ullum alchymiæ genus ſub pœna ſimili priuationis actiuæ, ac paſſiuæ uocis ad triennium, qui ſacerdotes fuerint: Canonici autem non ſacerdotes, & Cõuerſi, atq; Commiſſi ad tres menſes in carcere detineantur, bis in hebdomada pane, & aqua ieiunando: quam pœnam nullus omnino, ne ipſe quidem Prior generalis remittere, aut diſpenſare poſſit. Contractus quoq;, & obligationes per prædeceſſores factas nullus ullo modo ſucceſſorum reſcindere, aut reuocare præſumat, quanuis in detrimentum, & magnam iacturam monaſterii prouenirent: ſed potius uſq; ad Capitulum generale differãtur, uel ſaltem ad uiſitationem: & tunc declaretur, reuocandæ'ne ſint, an non. Nullus etiam nec ipſe fideiubeat, nec alium fideiubere inducat pro aliquo, niſi tantùm pro negotiis monaſterii, quæ commodè euitari non poſſint. Nec ullus etiam ſe in arbitros, uel amicabiles cõpoſitores compromittere poſſit, niſi de iure tantùm. Quando

autem

autem contingit aliquem petere remiſſionem, aut abſolutionem bonorum, quæ de iure perueniūt mona ſteriis noſtris uigore profeſſionis Canonicoꝝ, ac fra trum noſtrorum, id prius proponatur in eo Capitulo conuentuali, à quo eiuſmodi remiſſio petitur: & ſi in ipſo obtētum fuerit, non fiat tamen inſtrumētum, niſi idem per Capitulum generale fuerit prius appro/ batum, & licentia in ſcriptis eidem Conuentui con/ ceſſa. Item uolumus, & ordinamus, ut hæc ipſa bo na, quæ (ut dictum eſt) perueniunt Congregationi noſtræ ab inteſtato uigore profeſſionis Canonicoꝝ, ac fratrum noſtrorum, illis monaſteriis applicentur, in quibus dicti Canonici, ac fratres petierūt ſe recipi, cum necdum Cōgregationem ipſam ingreſſi eſſent, etiamſi illi ad alia monaſteria ob aliquam cām in habi tu ſeculari deſtinati fuerint, & illic, uel alibi ꝓfeſſio nem emiſerint. Caueāt aūt Canonici nr̄i quantū fieri poteſt, ne ad foꝝ ſeculare ipſi accedāt: ſed per Pro/ curatores ſeculares, ac ſolicitatores monaſteriorum cauſas agendas curent, ne pereant. Iamuerò ad con ſeruanda monaſteriorum noſtrorum iura, ne detri/ mētum aliquod ex ſcripturaꝝ defectu (quod perſæ pe cōtingere ſolet) patiantur, decernimus, ut in ſin gulis monaſteriis archiuum, ſeu armarium aliquod à Prælatis erigatur, ubi ordinatè omnia inſtrumēta, ſcripturæ, & iura monaſteriorum ipſorum, atque lo corum noſtrorum condantur. Teneanturq; ipſi Præ lati, ac Procuratores binos in monaſteriis ſuis libros habere, alterum ex membranis, ex papyro alterum:

in quorum priore omnia inſtrumenta, & contractus per ipſos factos, qui perpetuitatem, aut magnam diuturnitatem concernere uidentur, ut ſunt emptiones, permutationes, conuentiones, pactaq; perpetua, inſtrumenta liuellaria, & huiuſmodi alia in publicam formam ex notarioꝝ notis extrahẽdos, & deſcribendos curẽt, antequàm ad Capitulum generale proficiſcantur: idq; ſub eadem pœna, qua ſingulis annis ratam Quindecennii portionem deponere tenentur: in altero autem, ideſt papyraceo, omnia inſtrumẽta, & cõtractus ad tempus, quemadmodum locationes, & uẽditiones ad breue tempus duraturæ, & alia eiuſdem generis: de quorum quidem omnium extractione, deſcriptione, & redemptione in literis ſocii Capituli generalis, ut de Quindecennii etiam depoſito, fidem fieri uolumus. Quod ſi notariorum culpa, aut negligentia id ante diſceſſum ſuum Prælati efficere non poterunt, teneantur nihilominus tantum pecuniæ in capſa Quindecennii, aut in alio idoneo loco deponere, quantum cum ipſis notariis pro inſtrumentis huiuſmodi, & contractibus redimendis conuenerint, reponendo unà cum pecunia nomina notariorum, necnon diem celebrationis inſtrumentoꝝ, & contractuum ipſorum in ſcheda notata: & qui in monaſteriis ſuccedunt, inſtrumenta illa (ut dictum eſt) extrahere, deq; extractis fidem facere eadem indicta pœna teneantur. Fabricam quoq; quancunq; monaſteriorum per alium cœptam nullus abſq; Prioris generalis, & Viſitatorum licentia diruere, ſiue

mutare

mutare præſumat . Et ne aliquod inconueniens oria/
tur , ordinamus , ut in ſingulis Conuentibus fiat quæ/
dam formula , ſiue modulus ipſarum fabricarꝫ per
Priorem generalem , & Viſitatores approbandus ,
quem omnes Prælati in ipſis fabricis , ac ſtructuris ſe
qui teneantur : nec ab eo ulla unquam ratione diſce/
dere ſine magna neceſſitate , & Prioris generalis , ac
Viſitatorum licentia poſſint . Aduertant nihilomi/
nus noſtrorum monaſteriorum Prælati , ne in ipſis fa
bricis , aliiſq; huiuſmodi plus exponant , quàm mo/
naſteriorum ipſorum redditus , facultateſq; ſuppedi
tent , ita ut monaſteria debitis , æreq; alieno onerata
nullo modo decedẽtes relinquant . Et qui contra ea,
quæ in hoc capitulo continentur , fecerint , pœnæ
grauioris culpæ (niſi alia in eo propria ſit conſtitu/
ta) ſubiaceant .

De leui culpa . Cap . XXIII .

LEVIS culpa eſt , ſiquis , ut ſignum da
tum fuerit , non mox relictis omnibus
matura cum feſtinatione , & debita mo
rum compoſitione ad Eccleſiam uene
rit . Siquis in choro male legendo , uel cantando of
fendens , non ſtatim ſe humilians terram manu teti/
gerit , & ſurgens pectus ſuum ſuppercuſſerit . Siquis
diuino non intentus Officio uagis oculis , uel motu
irreligioſo leuitatem mentis oſtenderit . Siquis in
Eccleſia , uel in dormitorio , uel in cellis aliquid in/
quietudinis fecerit abſq; neceſſitate . Siquis lectio/

nem, uel cantum ſtatuto tempore non prouiderit. Siquis legere, uel cantare præſumpſerit aliud quàm communis approbat uſus. Siquis in choro riſerit, uel alios ridere fecerit. Siquis altaris, uel Eccleſiæ ornamenta negligenter tractauerit. Siquis cum iu/ramento (ut in loquendo minus ponderoſi homines facere ſolent) aliquid negauerit, uel affirmauerit. Siquis turpem ſermonem dixerit, aut uaniloquium. Siquis cum hoſpitibus quibuſcunq; ſine licentia, niſi breuiter interrogando, uel reſpondendo locutus fuerit. Siquis diſſolutè ridens cachinnis uel ludis, dictis uel factis alios ad ridendum prouocauerit. Siquis oculos uagos per plateas, uel per uicos eundo ad uanitates frequenter direxerit. Siquis Conuentum egrediens & cum exit, & cum redit, benedictionem à Præſidēte accipere neglexerit, & ad Eccleſiam uel eundo, uel redeundo non ierit, & orauerit. Siquis in Cōuentu ad Capitulum, ſeu collationem, uel communem refectionem ex negligentia non interfuerit. Si liber, in quo legendum eſt, cuiuſquam neglectu defuerit. Siquis aliquod utenſilium fregerit, uel perdiderit, uel poſtquàm eo uſus fuerit, nitidum, & lautum ad locum proprium, & deputatum non reportauerit. Siquis indumenta, uel ſimilia uſui pro/prio conceſſa ſine licentia Prælati, uel Præſidentis alteri pro ſuo uſu tenenda dederit. Siquis ueſtes etiam, uel libros ſibi ad uſum conceſſos ſtatuto lo/co honeſtè non repoſuerit, uel negligenter tractauerit. Siquis cibum, uel potum abſq; Superioris be/

nedictione ſumpſerit. Siquis ſtatis temporibus cum
aliis lectionem auditurus non affuerit. Siquis ad
Cameras, uel latrinas uadens, ibidem detecto capi
te manſerit. Siquis extra Conuentum abſq; licentia
Prælati in genere habita, uel ſocii maioris locutus
fuerit. Siquis à Maiori ſuo reprehenſus, non ſta
tim detecto capite humiliter, poſtquàm audiuerit,
genua flexerit. Siquis eorum, qui in officiis depu/
tati ſunt, in aliquo negligens repertus fuerit. Si/
quis locutus fuerit uerba otioſa, uel de munda/
nis, de nouis occurrentibus, aut de factis alienis.
Siquis contenderit, & affirmando durus in conten/
tione extiterit, etiam de ſacris tractãdo, uel loquē
do: nec ſtatim ſecundò admonitus benignè, & tran
quillè, & humiliter acquieuerit, ſed pertinaciter liti/
gauerit. Poſtulati, uel ſe ſpontè poſtulantes de ſu
pradictis, & ſimilibus ſemel ad Prælati pedes uapu
lent, aut pſalmi, ſeu abſtinentia, ſeu alia pœnitē/
tia iiſdem, prout ipſi Prælato uidebitur, imponatur.

De graui culpa. *Cap.* XXIIII.

GRAVIS culpa eſt, ſiquis inhoneſtè
audiētibus ſecularibus cum aliquo Ca
nonicorum, & fratrum noſtrorum, uel
ſecularium contenderit. Siquis alicui
eorundem opprobrium dixerit. Siquis mendaci/
um ex deliberatione dixiſſe deprehenſus fuerit. Si
quis fratri præteritam culpam, pro qua ſatisfecit im
properauerit. Siquis culpam ſuam, uel alius fratris

tanquàm ſuperbiens proteruè defenderit. Siquis in quenlibet minas, uel maledicta protuliſſe deprehen ſus fuerit. Siquis indumenta, uel alia data fratri, ſine ipſius ſcientia, & Prælati licentia pro ſuo, uel alius uſu acceperit. Siquis pro uictu, uel ueſtitu, uel alia quacunq; re animo deliberato, & proteruè murmurauerit. Siquis procedens, ubi fœminæ ſunt, oculum frequenter, & ex conſuetudine fixerit, uel cum fœmina ſolus, niſi breuiter interrogans, aut in/terrogatus, breuiter reſpondens locutus fuerit. Ean dem pœnam incurrant, quicunq; attulerint noua de uno Cōuentu ad alium, præter exempla fratres ædi ficatura, uel aliquid inde ſine Superioris licentia aſ portauerint, uel retinuerint penès ſe aliquam quanti/tatem pecuniarum ultra diem naturalem: item qui/cunq; diſpenſauerint, ut Conuerſi, uel Commiſsi li teras diſcant. Similiter omnes, qui poſtquàm miſsi fuerint quocunq;, in contemptum obedientiæ ſine li cētia uel ante terminum eis aſsignatum reuerti præ/ſumpſerint, uel ultra terminum moram traxerint. Si quis rem aliquam, etiam ſub ſpecie eleemoſynæ ex tra domum ſine licentia dederit. Canonici autem, & fratres noſtri non fiant compatres, nec recipiant com promiſſum in ſcriptis, nec fiant executores teſtamen torum. Qui autem contrà fecerint, eandem grauis culpæ pœnam incurrant. De huiuſmodi, & his ſimi libus ueniam petentes, & non poſtulati ſemel in Capi tulo uapulent, & uno die pane, & aqua ieiunent: po ſtulatis uerò pœna duplicetur. Præter hæc autem

pſalmi

pſalmi, & ueniæ, ut diſcreto Prælato uiſum fuerit, pro qualitate culparum iniungantur.

De grauiori culpa. Cap. XXV.

GRAVIOR culpa eſt, ſi quis per contumaciam, uel manifeſtam rebellionem Prælato ſuo inobediens extiterit, aut cum eo uel extra Conuentum, uel in Cõuentu peruersè perſiſtens in ſua duritia contendere obſtinato animo auſus fuerit. Grauior etiam culpa eſt, ſi quis capitale, ſiue mortale crimen commiſerit. Si quis ieiunia ab Eccleſia inſtituta fregerit ſine cauſa, uel licentia. Si quis procurauerit, ut ipſe, uel alius eximatur à poteſtate, uel ab obedientia Prælati ſui. Siquis ſecreta Ordinis reuelauerit, uel etiam facta non manifeſtanda, aut pandẽda detexerit, ſiue propalauerit. Si quis rem ſibi oblatam de iis, quæ recipi prohibentur, receperit. Siquis rem ſibi collatam cellauerit, quem beatus pater Auguſtinus furti iudicio dicit eſſe condemnãdum. Siquis in libris phyſicis, ideſt medicis, chirurgicis, legalibus, & aliis a Conſtitutionibus noſtris non cõceſsis ſtuduerit, uel docuerit huiuſmodi libros, aut ſtudendi, uel docẽdi licentiam alicui Canonicorum noſtrorum dederit: uel ad diſcendum etiam conceſſa, ſicut cantum, & huiuſmodi extra loca noſtra etiam cum licentia iuerit, uel in hoc alicui diſpenſauerit, aut ſibi, uel alteri diſpenſandum curauerit. Si quis ad ſpectacula, & omnia huiuſmodi, etiam ſub ſpecie ſanctitatis ſpi-

ritualis deuotionis, uel ſcientiæ, religioſos fratres à pace, & quiete cellarum, aut monaſteriorum, & à bono obedientiæ, atque ſtabilitatis auocantia exiuerit etiam cum licentia, uel aliis ut exeant diſpenſauerit, aut ſibi, uel aliis in hoc diſpenſandum curauerit. De ſupradictis culpis ueniam petentes, uel ſeipſos ultrò accuſantes, bis in Capitulo, duabus uidelicet ſextis feriis uapulent, ac iiſdem duobus diebus pane, & aqua ieiunent & præter hæc pſalmi, & ueniæ, quemadmodum diſcreto Prælato uiſum fuerit, pro qualitate culparum iniungantur. Conuictus uerò in Capitulo, ſpontè ſurgat, & ueniam petẽdo delictum ſuum publicè confiteatur, & denudatus ab humeris uſq; ad corrigiam (ut dignam accipiat pro ſuis demeritis ſententiam) uapulet quantum Prælato uiſum fuerit conuenire, & poſteà ſit omnium nouiſſimus in Conuentu: in refectorio quoq; ad communem menſam cum cæteris non ſedeat, ſed in medio refectorii genibus flexis ſuper nudam humum comedat, & prouideatur ipſi ſeorſum panis craſſior, uel ſecundarius, & potus aquæ, niſi Prælatus ei aliquid aliud ex miſericordia impenderit: nec reliquiæ prãdii eius cum aliis admiſceantur. Ad canonicas quidem horas, & ad gratiarum actionem poſt comeſtionem ante hoſtium Eccleſiæ tranſeuntibus fratribus proſtratus iaceat, dum intrant, & exeunt. Nullus autem ſe illi coniungere, aut aliquid mandare audeat. Ne tamen in deſperationem labatur is, qui huiuſmodi agit pœnitentiam Prælatus mittat ad eum ſeniores, qui

commoueant

commoueāt eum ad ueram cordis pœnitentiam, hortenturq; ad patientiam: qui ſi uiderint in eo humilitatem cordis, tunc totus Conuentus intercedat pro eo apud Prælatum: nec renuat Prælatus cum eo facere miſericordiam. Is quándiu erit in hac pœnitentia non communicet, nec ueniat ad oſculum pacis, nec notetur ad aliquod officium in Eccleſia, quanuis officio diuino intereſſe poterit: nec, niſi in ſui accuſatione, uocem habeat ante plenariam ſatisfactionem: &, ſi fuerit ſacerdos, uel Diaconus, uel Subdiaconus, iis officiis non fungatur, niſi poſteà religioſè conuerſatus fuerit. Eandem pœnam incurrāt, quicunq; per conſpirationem, uel coniurationem, ſeu malitioſam concordiam aduerſus Prælatum ſuum manifeſtè ſe erexerint.

De *grauiſsima culpa*. *Cap*. XXVI.

GRAVISSIMA culpa eſt incorrigibilitas eius, qui & culpas committere non timet, & pœnas ferre recuſat. Is de conſilio Diſcretoꝝ carcerali cuſtodiæ mancipetur, & ibidem ſecundum exigentiam culparum, iuxta diſcretionem Prælati, ieiuniis, & abſtinentiis puniatur, uel ſecundum regulam patris noſtri Auguſtini (ſi magis expediens iudicabitur) etiam ſi ipſe non abſceſſerit, exutus habitu Ordinis, de ipſius Ordinis noſtri ſocietate penitus expellatur, ne contagione peſtifera plurimos ſpirituali morte interficiat, ſi tamen uſque ad illam horam ſani capitis, &

integri ſenſus extiterit. Si quis (quod Deus auertat) in peccatum carnis lapſus, conuictus fuerit, uel furtum commiſerit, quod ſit notabile iudicio Diſcretorum; uel literas Prioris generalis, ſeu Prælatorum conuentualium, ſeu eorum ſigilla fallaciter imitando adulterauerit, uel ita adulteratis ſcienter uſus fuerit: uel in Prælatum ſuum manus iniecerit temerè uiolentas, aut quencunq; alium letaliter, ſeu etiam grauiter, & atrociter percuſſerit: is ſimiliter carcerali cuſtodiæ mancipetur. Si quis uerò actus aliquos uenereos, ideſt tactus, uel oſculi impudici ter commiſiſſe deprehenſus fuerit, & admonitus ſe corrigere neglexerit: is etiam poſſit de conſilio Diſcretorum carceribus deputari: nec inde ualeat liberari, niſi per generale Capitulum: uel (ubi de graui periculo, aut ſcandalo timeretur) per Priorem generalem de conſilio etiam Diſcretorum.

De apoſtatis. *Cap.* XXVII.

SI QVIS ab Ordine deſciuerit, atque apoſtatauerit, & miſertus ſui ad Ordinem redire uoluerit: ſi talis ſit, ut de eius correctione ſpes habeatur, recipi poterit. Alioquin ſimpliciter ab Ordine dimiſſus cum licentia, & literis dimiſſoriis, quærat ſibi religionem aliam, uel locum, ubi poſsit animam ſuam è diaboli faucibus, cooperante diuinæ miſericordiæ gratia, liberare. Recipiendus autem denudatus ab

humeris

humeris uſq; ad corrigiam Canonicis in loco Capituli congregatis, ipſe in Capitulo cum uirgis in manu, & proſtratus in medium culpam ſuam dicat, & humilis ueniam petat: poſt hæc ad iuſſum Prælati erectus uapulet ad pedes eius, & omnium aliorum Canonicorum, quantum ipſi Prælato placuerit. Præter hæc per integrum annum ſingulis ſeptimanis ſemel, uidelicet quando fit Capitulum de culpis, nudatus ſupradicto modo ſe in Capitulum repræſentet, prout Prælato uidebitur uerberandus, & pœnam grauioris culpæ agat quámdiu Prælato uiſum fuerit. Omnibus tamen Canonicis pro huiuſmodi pœnitentibus humiliter in Capitulo deprecantibus, Prælatus cum eorum pœnitentiam perſpexerit, ipſis indulgere, uel remittere poterit plus, minus'ue, prout ipſi pro ſua diſcretione placitum fuerit. Peracta uerò pœnitentia, nihilominus de cætero locum teneat ſub omnibus illis, qui profeſſi fuerant in Ordine, antequàm ipſe poſt apoſtaſiam ad Ordinem redierit, de quo loco nunquàm poſſit alicui diſpenſari. Is quoq; de cætero non fiat Prælatus monaſterii, nec Definitor Capituli generalis, nec ad aliquam electionem Ordinis admittatur, niſi per Capitulum generale ei fuerit in partem, uel in totum diſpenſatum: quæ tamen diſpenſatio fieri non poſſit, niſi poſt triennium ab eius reditu completum. Si quis autem iterum apoſtatauerit, is denuò recipi non poſſit omnino, niſi iuxta morem Ordinis, ideſt pœna carceris ad ſex menſes adiecta. Porrò apoſtatæ unius Conuentus non re/

cipiantur in alium Conuentum abſq; Prioris genera
lis licentia ſpeciali. Apoſtata autem intelligitur qui/
cunq; abſq; licentia ſui Prælati, uel Præſidentis è
ſuo Conuentu receſſerit, & per menſem extra uel
cum habitu, uel ſine habitu manſerit: aut, ſi ad tem
pus licentiam ſe ad aliam religionem transferendi
æqualem, uel etiam arctiorem habuerit, & ultra ter
minum in licentia appoſitum, ſimiliter per menſem
tardauerit. Si uerò ante menſem redierit, nihilomi
nus prædictam pœnitentiam agat: tametſi poterit ſe
cum in totum, uel in partem per Capitulum gene/
rale diſpenſari. Qui autem ſine licentia ab uno Con
uentu ad alium ſe tranſtulerit, illicò uoce actiua, &
paſſiua priuetur, & carceri ad duos menſes mancipe
tur: unde etiam poſteà eductus locum teneat ſub
omnibus profeſſis uſq; ad determinationem Capitu
li generalis. Hanc eandem pœnam incurrat, quiſ/
quis ad Priorem generalem, abſq; eius, aut Superio
ris ſui licentia, ſeu mandato, iter arripere auſus fue
rit, à qua pœna diſpenſari minimè poſſit. Spontè
autem ab Ordine recedentes, aut reiectos, poſt de/
nunciationem ab eis Ordinariis factam, de cætero
Prælati ſui minimè inquirere teneantur.

De Capitulo quotidiano. Cap. XXVIII.

SINGVLIS diebus dicto Completorio,
pulſatóq; ad ſilentium, uadant fratres
omnes in Oratorium fratrum ad pri/
uatam, & ſecretam orationem: in qua

unuſquiſq;

unuſquiſq; uitam propriam examinando, ſi quid in ſeipſo reprehenſibile reppererit, dolẽs de præterito, proponensq; ſatisfacere, & cauere in futurum, defectus ſuos diſſimulando non patiatur tranſire impunitos: ſed, quæ non poſſunt quacunq; de cauſa corrigi publica pœnitentia, ea tanquàm proprius ſui ipſius iudex, ſtudeat priuata, & ſecreta punitione curare. Prælatus uerò elapſa media, uel quarta parte horæ, prout ſic, uel aliter ſibi expediens, ſiue conueniens eſſe uiſum fuerit, ipſe, uel alius, cui ipſe commiſerit, aſpergat omnes aqua benedicta dicendo Aſperges me Domine, & cætera: cum Verſu, & Oratione, ſicut fit mane in die dominico ante Miſſam conuentualem, & dicto Salue Regina miſericordiæ, & cætera: ſubiungat Prælatus, Conuentu ordine reſpondente, ſic:

Ver. Ora pro nobis ſancta dei genitrix.
Reſ. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.
Orõ. Oremus: Interueniat pro nobis, & cætera: & aliam Orationem coniunctim, ideſt:

Spiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde, ut quos uno pane cœleſti ſatiaſti, tua facias pietate concordes, Per dominum noſtrum IESVM Chriſtum filium tuum, qui tecum uiuit, & regnat in unitate eiuſdem ſpirituſſancti deus per omnia ſecula ſeculorum. Reſ. Amen. Dictoq; à fratribus Benedicite, det eis benedictionem Prælatus dicens Nos cum prole pia benedicat uirgo Maria. Deinde angelica ſalutatio beatæ Virginis ter ſecretò

perſoluatur: poſt quam ſtatim pro anima ſanctiſſi/
mi domini noſtri papæ Piæ memoriæ IVLII ſe/
cundi, iuxta conſuetudinem iam inde ab eius obi/
tu introductam, & ab omnibus noſtri Ordinis piè,
concorditer, ac perpetuò obſeruatam, cum propter
quamplurima præclariſſimi illius pontificis in uni/
uerſam Congregationem noſtram merita, tum ma/
ximè propter ſingulare, atq; ampliſſimum priuilegi/
um ab eodem (ut initio latius in harum Conſtitu/
tionum procœmio dictum eſt) ſponte, gratiſq; Or/
dini noſtro conceſſum, nunc demum etiam à ſan/
ctiſſimo domino noſtro domino Papa Paulo ter/
tio recens confirmatum, dicatur ordine, quo ſupra,
De profundis, cum Requiem æternam in fine, &
poſtmodum.

Ver. Domine exaudi orationem meam,

Reſ. Et clamor meus ad te ueniat.

Ver. Dominus uobiſcum.

Reſ. Et cum ſpiritu tuo.

Oro. Oremus: Da nobis quæſumus Domine, ut ani
mam famuli tui IVLII ſummi pontificis, quam
de huius ſeculi eduxiſti laborioſo certamine, ſan
ctorum tuorum cœtui tribuas eſſe conſortem. Per
Chriſtum dominum noſtrum. Reſ. Amen.

Si quis autem fratrum ſe in aliquo deliquiſſe re/
cordatus fuerit, genibus flexis poterit culpam ſuam
recognoſcendo, ueniam petere, cui à Prælato, pro
ut expediens ipſi uiſum fuerit, pœnitentia iniungatur. Quod ſi acciderit aliquem ex legitima cauſa

huiuſmodi benedictioni non interfuiſſe, abſq; ipſa à Prælato, ſeu Vicario humiliter, ac deuotè ſuſcepta, dormitum nullatenus ire ſe patiatur. Præter hæc nihilominus qualibet ſeptimana ſemel, uidelicet ſexta feria, uel alio die, prout conuenientius fieri poterit, habeatur Capitulum de culpis eadem hora, uel alia: in quo, ut ſupra, dicto à fratribus Benedicite, & data à Prælato benedictione Nos cum prole pia benedicat uirgo Maria, pro plenaria indulgentia cuilibet noſtri Ordinis à Sede apoſtolica in articulo mortis indulta dicatur continuo à Conuentu alternatim pſalmus Miſerere mei deus cum Gloria patri in fine uoce ſubmiſſa: poſtmodum fiat commendatio mortuorum, & uiuorum, eodem modo, ac ordine dicẽdo pro mortuis q̃dem pſalmum De profundis ſub antiphona Si iniquitates, eandemq; in fine pſalmi repetendo, ac ſubiungendo Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter.

Ver. Et ne nos inducas in tentationem.

Reſ. Sed libera nos à malo.

Ver. A' porta inferi.

Reſ. Erue Domine animas eorum.

Ver. Requieſcant in pace. Reſ. Amen.

Ver. Domine exaudi orationem meam.

Reſ. Et clamor meus ad te ueniat.

Ver. Dominus uobiſcum. Reſ. Et cum ſpiritu tuo.

Oro. Oremus: Abſolue quæſimus Domine animas famulorum tuorum fratrum noſtrorum, & animas famulorum famularumq; tuarum propinquorũ, &

benefactoꝝ nr̃orum, & omnium fidelium defunctorum ab omni uinculo delictoꝝ, ut in reſurrectionis gloria inter ſanctos, & electos tuos reſuſcitati reſpirent, Per Chriſtum dñm noſtrum. Reſ. Amen.

Pro uiuis autem pſalmum Ad te leuaui oculos meos, cum Gloria patri, & cætera: poſteà rursùm Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter.

Ver. Et ne nos inducas in tentationem.

Reſ. Sed libera nos à malo.

Ver. Saluos fac ſeruos tuos, & ancillas tuas.

Reſ. Deus meus ſperantes in te.

Ver. Domine exaudi orationem meam.

Reſ. Et clamor meus ad te ueniat.

Ver. Dominus uobiſcum. Reſ. Et cum ſpiritu tuo.

Or̃o. Oremus: Prætende Domine famulis, & famulabus tuis dexteram cœleſtis auxilii, ut te toto corde perquirant, & quæ dignè poſtulant, conſequi mereantur, Per Chriſtum dñm nr̃m. Reſ. Amen.

Poterit prætereà tunc Prælatus dicere, ſi qua uiderit ad honeſtatem Ordinis, & correctionem fratrum eſſe dicenda. Poſteà idem dicat Omnes petant ueniam: ſtatimq́ꝫ omnes proſternant ſe ſuam culpam confitentes: deinde ad iuſſum ipſius Prælati aliis ſedentibus, genua flectant nouitii clerici, nec non Conuerſi, & Commiſſi tam nouitii, quàm profeſſi, & humiliter in publico confiteantur culpas ſuas: qui pœnitentia ſibi iniuncta à Prælato, ſtatim egrediantur Capitulum. Deinde Canonici profeſſi ſinguli genibus flexis, incipiendo à choro dextro, ſimiliter

ſuam

ſuam culpam confiteantur: quibus ſecundum quali/
tatem culparum pœnitentia à Prælato iuxta eius diſ
cretionem iniungatur, præſertim pro iis exceſſibus,
pro quibus non eſt taxata pœna in Conſtitutionibus:
in cæteris uerò, quantùm fragilitas humana permiſe
rit, menſura pœnarum in his Cōſtitutionibus taxata
rum ſeruetur, cum omni & Prælati iudicis manſuetu
dine, & ſubditi rei patientia: ita ut ſuper culpis in
his Cōſtitutionibus taxatis, præſertim ſuper iis, quæ
in capitulo De graui, De grauiore, & De grauiſſima
culpa, & De apoſtatis continentur, omnino Prælatis,
ac Præſidentibus ſit ſubtracta diſpenſandi facultas:
contra quod facientes, eadem pœna ipſi uiſitatio
nis tempore puniantur. Si tamen ad honorem
dei, & animarum ſalutem Prælato uidebitur ſuper tri
bus primis capitulis aliqua ex parte eſſe diſpenſan
dum, id quidem poterit, ſed cum conſenſu Vicar/
rii ſui, & duorum Canonicorum antiquiorū ſui Con/
uentus, uel maioris partis eorum trium, non aliter:
& hoc in partem tantùm (ut dictum eſt) & non in
totum ſibi cognoſcat eſſe conceſſum. Non ſunt ta
men proptereà occulta cordium pandenda cogitata,
nec etiam alia occulta peccata, præſertim ea, quæ
ſine ſcandalo proximi detegi nequeunt; quæ qui/
dem ſolis Sacerdotibus in ſacramentali confeſſione
ſunt reuelanda: uerùm ea tantùm (ſicut dictum eſt)
publicè ſunt confitenda, quæ præceptis obuiant pu
blicis, & fratribus peccandi præbent exempla. In
fine omnium dicat Prælatus, aut Præſidens Adiuto/

rium noſtrum, & cætera, ut ante: & ſic finiatur Capitulum. Quòd ſi Prælati bis ſaltem in menſe non tenuerint huiuſmodi Capitulum de culpis, ſubiaceãt pœnæ infraſcriptæ, ſcilicet ut quoties illud omiſſerint, ieiunent uno die nihil comedentes, niſi panem, & bibentes uinum in communi refectione ita palàm, ut uideantur: quam pœnitentiam ſi non fecerint, tempore uiſitationis toties pane, & aqua ieiunent, quoties eam intermiſerint.

De inſtitutione Abbatum, Præpoſitorum, & Priorum conuentualium, eorumq; Vicariorum: & de aſſignatione Sociorum eorundem Prælatorum euntium ad Capitulum generale. Cap. XXIX.

ABBATES, Præpoſiti, & Priores, conuentuales, eorumq; Vicarii in Capitulo noſtro generali eligantur, diſponantur, & conſtituantur annuatim per ſingula monaſteria noſtræ Congregationis à Priore generali, & Definitoribus eiuſdem Capituli. Si uerò intra annum eoſdem Prælatos, aut Vicarios mori, ſeu ammoueri contigerit, ab eodem Priore generali cum tribus, uel ſaltem duobus Viſitatoribus poſſint eligi, dummodo tres eorum conſentiant, & non pauciores, ut in priuilegio Ordini noſtro à ſanctæ memoriæ domino papa Paulo ſecundo conceſſo plenius continetur: qui uidelicet Abbates, Præpoſiti, & Priores conuentuales (ut præfertur) aſſumpti,

& conſtituti

& conſtituti, anuuatim teneantur tempore conſtituto ad Capitulum generale accedere, unà cum ſocio ſibi à ſuo Conuentu aſſignato: in qua quidem aſſignatione omnes Canonicos ſacerdotes tantùm conuétuales, ibidem ordinariè aſſignatos, uocem habere uolumus modò, & forma, quibus infra declarabitur; iis tamen exceptis, qui ſe ad Congregationem noſtram contulerunt in ſacerdotio conſtituti, quos uocem in huiuſmodi electione, niſi poſt triennium ab emiſſa profeſſione, habere non poſſe decernimus. In reliquis autem electionibus, tractatibus, & negotiis, uocem habere uolumus omnes Canonicos, & clericos expreſsè profeſſos, tam in ſuis Conuentibus, quàm alibi, ubicunq; ſe repererint. Siquos tamen ſacerdotes alicuius Conuentus tempore aſſignandi ſocii Prælati conuentualis intra ſpatium itineris unius diei à ſuo Conuentu abeſſe contigerit, teneantur alii ſacerdotes diem, quo ad aſſignationem huiuſmodi procedere intendunt, notificando eos uocare: qui ſi die ſtatuto ſic uocati non uenerint, nihilominus (ſicut dictum eſt) per eoſdem, qui præſentes exiſtunt aſſignatio celebretur. Cum aũt aſſignationes ſocioꝝ prædictoꝝ maximè ſynceres, & liberæ eſſe debeãt, & omni nota coactionis carere, nolumus intra menſem ante aſſignationem huiuſmodi nouas fieri Canonicorum noſtrorum mutationes, neq; per Priorem generalem, neq; per alium quencunq; (præterquàm ab graue ſcandalum euitandum) niſi in Capitulo generali præcedente id

fuerit ordinatum. Quòd ſi ſecus factum fuerit, nullum inde ſortiantur effectum tales mutationes, ita ut tempore prædicto in locis ipſis, ubi faciendæ huiuſmodi ſociorum aſſignationes ſunt, nec ſic amoti uoce careant, nec ſic aſſignati uocem habeant. Inſtante ergo tempore aſſignandi ſocium Abbatis, uel Præpoſiti, uel Prioris conuentualis, uidelicet per quatuor dies, uel circa ante eius profectionem ad Capitulum, ſinguli Prælati in ſuis Conuentibus ad ſonum clauſtralis campanulæ congregent Capitulum, ad quod omnes conueniant: & inuocata gratia Spiritus Sancti more conſueto per hymnum Veni creator ſpiritus, cum

Ver. Emitte ſpiritum tuum, & creabitur.

Reſ. Et renouabis faciem terræ, &

Oro. Deus, qui corda fidelium, & cætera: exeant omnes, qui non ſunt de corpore Capituli, & remanente Prælato cum omnibus ſacerdotibus, procedatur ad electionem hoc modo. Habeantur duæ Pyxides, ſeu duo buxola ſuper menſa ad hoc parata, in quorum uno ſint nomina omnium ſacerdotum diuiſim in paruis ſchedulis ſcripta, in altero uerò ſint tot ſphærulæ, ſiue ſuffragia parua, rotunda, æqualia, ac prorſus ſimilia, quot ſacerdotes ipſi electioni interueniunt: inter quas tamen ſphærulas ſit una tantùm aurata, ſeu cruce, uel aliquo diuerſo ab aliis colore ſignata. Tunc sedēte Prælato ad præfatam menſam, & ſacerdotibus in locis ſuis, unus ex ipſo collegio, cui iuſſum fuerit, accedēs ad buxolum ſchedularum

dularum

dularum purè, & ſimpliciter extrahat unam ex illis, legat'q;, & qui in ea ſcriptus, ac nominatus fuerit, ſurgat reuerenter, & accedens ad buxolum ſphæru larum, eodem modo purè, & ſimpliciter extrahat unam ex illis, quæ ſi non erit illa aurata, ſeu cruce, uel diuerſo ab aliis colore ſignata, depoſita ea ante Prælatum, ad locum ſuum reuertatur: & ſic deinceps modo prædicto procedatur, donec illa, quæ ſola inter cæteras aurata, ut diximus, ſeu cruce, uel diuerſo colore ſignata eſt, ab aliquo extrahatur: & qui, deo permittente, hanc ipſam ab aliis diſſimilem ſphærulam extraxerit, ſit ſocius, & pro ſocio Abbatis, ſeu Præpoſiti, ſeu Prioris euntis ad Capitulum generale ab omnibus habeatur, & tùm confirmetur ab omnibus dicentibus, Nos ipſum confirmamus. Ipſe uerò ſic electus genibus flexis accipiat benedictionem ab ipſo Prælato, qui tunc imponat Vicario, uel alicui alii, quem idoneum ad hoc iudicauerit, ut ſcribat literas teſtimoniales more, & forma debita, & conſueta. Curent autem Definitores tempore Capituli generalis in ordinatione Cõuentuum tot Canonicos ad huiuſmodi electionem habiles in ſingulis monaſteriis aſſignare, ut ritè, & ſecundum ordinem fieri electio ſocii huiuſmodi poſſit.

De officio Abbatum, Præpoſitorum, & Priorum conuentualium, aliorumq; Officialium.

Cap. XXX.

CELEBRATA itaq; electione Abbatum, Præpoſitorum, & Priorum conuentualium per Priorem generalem, & Definitores, ut ſupra dictum eſt: eáque publicata in ſcriptis, ut moris eſt, illi intelligantur, & ſint ueri Abbates, Præpoſiti, & Priores tanquàm confirmati à Sede apoſtolica, & pro legitimis Abbatibus, Præpoſitis, & Prioribus illorum Conuentuum, ubi aſſignati ſunt, ab omnibus habeantur: ac etiam titulis monaſteriorum, quibus præſunt, ideſt (ut diximus) Abbates, Præpoſiti, & Priores uocentur, prout etiam qui monaſteriis illis, antequàm Congregationi noſtræ eſſent unita, præerât, uocabantur: prout priuilegio felicis recordationis Xyſti quarti papæ etiam Ordini noſtro conceſſum eſt: quibus ſtatim poſt eandem publicationem, & ſigillorum officiorum ſuoꝝ receptionem, in ſignum obedientiæ, & ſubiectionis, omnes ſui conuentuales, qui præſentes ibidem ſe reperetint, flexis genibus manum oſculentur: quos ipſi benignè, ut filios ſuſcipientes benedicant: idem etiam faciant omnes alii eorum conuentuales, cum ad ſuos Conuentus peruenerint: ſicq; iiſdem Prælatis obedientia, affectio, & deuotio tanquàm patribus à deo conſtitutis ab omnibus exhibeatur, qui deo rationem de omnibus ſibi ſubditis reddituri ſunt. Prælati autem huiuſmodi conuentuales, poſtquàm (ſicut præfertur) publicati fuerint, & ad eorum Conuentus applicuerint, omnia maturè, & diſcretè moderando,

ita prudenter diſponere, & ordinare procurent, ut de ſua ꝓmotione diuinus honor, ac religionis profectus ualeat reſultare; et iuxta Saluatoris noſtri exemplum prius ſtudeant facere, & poſteà docere, non ſe exiſtimando (ut. s. Pater noſter Auguſtinus præcipit) poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiente, felices. Ideò ſatagere debent Regulæ, & Conſtitutionum harum, ac Ordinarii Eccleſiæ, ut ea iuxta humanam poſſibilitatem & ipſi obſeruent, & ab aliis obſeruanda curent, ita ut religionis uigor, & obſeruantia regularis (quantùm in ipſis eſt) potius augeatur, quàm minuatur. Quare uolumus, & mandamus, ut nullus Prælatus, ſiue Præſidens monaſterii ualeat has Conſtitutiones diſpenſare in iis, in quibus diſpenſandi harum ipſarum Conſtitutionum ſerie facultatem ſibi ſublatam eſſe cognoſcit: in iis etiam, in quibus diſpenſandi eidem poteſtas conceſſa eſt, ita prudenter, & diſcretè ſe habeat, ut diſſolutionis, ac relaxationis uitiò minimè ualeat accuſari, & Capituli generalis, aut Viſitationis tempore meritò caſtigari. Studeat prætereà Prælatus conuentualis poſt quàm ad ſuum Conuentum applicuerit, habito prius colloquio, & conſilio cum Vicario ſui Conuentus, quantò citius fieri poterit, diſtribuere officia domus, & præſertim conſtituere Procuratorem, & Sacriſtam, alioſq; officiales, uel ante conſtitutos confirmare, prout ei ad dei honorem, & ſui Conuentus profectum uiſum fuerit expedire. Eiuſdem autem Vicarii officium erit diligẽtem habere curam, & uigi

lem ſolicitudinem circa Conuentum, & audientiam confeſſionum, aliaq́ſ ſeu temporalia, ſeu ſpiritualia, & huiuſmodi, prout Prælatus ordinauerit: in quibus tantam habeat authoritatem, quantam ei Prælatus ipſe dederit, aut conceſſerit, & non maiorem. Studium igitur Vicarii erit die, noctuq́ſ aſſiduè diuinis intereſſe officiis, & aliis ordinationibus domus, zelatoremq́ſ eſſe regularis obſeruantiæ, ut prius exemplo, poſteà uerbis ad id alios audacter ualeat prouocare. Prælato uerò ad Capitulum generale proficiſcente, uel aliter abſente, aut etiam mortuo, & huiuſmodi, Vicarius illius Conuentus harum authoritate uices eius in omnibus plenè gerat, niſi per Priorem generalem, aut Prælatum ipſum cōuentualem in ſpecie, uel in genere aliter fuerit ordinatum. Obſeruare nihilominus non negligat ipſe Vicarius, uel alius eius uices gerēs humiliter, & deuotè omnia inſtituta, & ordinata per ipſum Priorem generalem, aut per Prælatum conuentualem; ne, ſi facile eorum inſtituta immutet, leuitatis crimine, aut inobedientiæ ualeat notari, & iuxtà eius demerita iure puniri, uel etiam, ſuis exigētibus culpis, per ipſum Priorem generalem à ſuo officio ſuſpendi, aut omnino amoueri, & alius loco ipſius meritò ſubrogari. Si autem domus, aut Conuentus quacunq́ſ de cauſa Prælatum, uel Vicarium ſuum præſentem non habuerit, nec Prior generalis, aut Prælatus conuentualis aliter ſuper hoc ordinauerit; tunc antiquior illius Conuentus in ſacerdotio conſtitutus uices Prælati obtineat

ſupradictas,

ſupradictas, quouſq; Conuentus ipſe Prælatum, uel
Vicarium præſentem habuerit. Inſtituti igitur in ſu
pramemoratis officiis nihil propria authoritate agãt,
uel incipere præſumant neq; ſpirituale, neq; tempo/
rale, abſq; ſuorum licentia Prælatorum, ad quos,
tanquàm ad caput, omnia referenda cenſemus, ut
eorum conſilio, & authoritate omnia peragantur.
Teneantur itaq; præ cæteris Procuratores, & Sacri/
ſtæ ſemel in menſe de omnibus introitibus, & exiti/
bus officiorum ſuorum Prælatis ſuis rationem red/
dere, uel ſaltem ſe ad id faciendum iiſdem paratos
offerre: quam rationem Prælati ipſi uidere, ac ſup/
putare, & in libris dictorum Officialium ſe ſub/
ſcribere teneantur, niſi aliqua rationabili cauſa fue/
rint præpediti. Iccircò pro ſuppléda negligentia tam
Prælatorum, quàm Officialium huiuſmodi, & pro
conſeruatione bonorum monaſteriorum, ac reſecatio
ne expenſarum ſuperfluarum, quæ in ipſis monaſte/
riis fieri fortaſſe contingere poſſet, ſtatuimus, & or
dinamus, ut annuatim in ſingulis Conuentibus ante
dominicam tertiam Quadrageſimæ duo ex Canoni
cis cõuentualibus, ipſis Prælato, & Procuratore ex/
cluſis, in Capitulo à Conuentu eligantur, qui pru/
denter uidere habeant omnes introitus, & exitus mo
naſterii, expenſaſq;, ac debita per illos facta diligen
ter examinare: & ea omnia ritè perſpecta, & per or
dinem bene diſcuſſa, ac in ſcriptis redacta, ſigilloq;
Conuentus munita, fideliter per ſocium Prælati ad
Capitulum gñale euntem Priori generali, cæteriſq;

Definitoribus, aut ab eis ſuper hoc deputatis ſtude/
ant deſtinare. In quo tamen declaramus, ac uolumus,
ut libri accepti, & expenſi in loco ſolito, dum hu/
iuſmodi computus fiunt, retineantur, non autem in
Rationariorum manibus ubicunq; dimittantur. Nec
minus, qui ſumptus monaſterii fecerit, uel qui ratio/
num libros conſcripſerit, ſiue Prælatus, ſiue Procu/
rator is fuerit, ipſe interim præſens aſſiſtere (ſi ue/
lit) poſſit. Nemo autem huiuſmodi libros, & com
putus hominibus ſecularibus, uel etiam à noſtra Con
gregatione alienis cognoſcendos, atq; inſpiciendos
ullo modo committere audeat: ſiquis uerò commi/
ſiſſe deprehenſus fuerit, ſit actiua, & paſſiua uoce
per integrum annum priuatus. Porrò Abbates, Præ
poſiti, & Priores conuentuales ſemper ſingulis annis
ab officio ſuarum Abbatiarum, Præpoſiturarum, ac
Prioratuum intelligantur abſoluti ultima die Capitu
li generalis (niſi per Priorem generalem, & Defini
tores Capituli, fuerit determinatum, approbatum,
& cõfirmatum, ipſos in prædictarum Prælaturaꝝ of/
ficio diutius permanere) etiam ſi ipſi annum ſuarum
Prælaturarum non expleuerint. Verùm ut electio/
nes huiuſmodi in Conuentibus noſtris, & etiam in ge
nerali Capitulo faciendæ, non hominum uoluntate,
ſed diuina inſpiratione celebrentur, prohibemus di
ſtrictè mãdantes, ne quis Canonicorum, aut fratrum
nr̃orum aliquam practicam, ſub quouis quæſito co/
lore facere poſſit, aut præſumat: contra quod ſiquis
temerè aliquid auſus fuerit attentare, pœnæ grauis
culpæ

culpæ ſubiaceat, & uoce actiua, & paſſiua priuatum
ſe per integrum annum eſſe cognoſcat. Eandem
etiam pœnam incurrant Prælati illorum Conuentu/
um, qui ad quindecennium exoluendum ſunt obli
gati, ſi annis ſingulis portionem pro rata ſibi con/
tingẽte in capſulam ad hoc deputatam non repoſue
rint: de quo etiam fidem in literis ſociorum ipſo/
rum ad Capitulum uenientium fieri uolumus. Hu/
ius autem capſulæ, tres inter ſe diuerſæ habeãtur cla
ues: quarum una penes Prælatum, altera penes Pro
curatorem, tertia penes Sacriſtam recõdatur: nec in/
de poſſit huiuſmodi pecunia ab aliis Prælatis ante re
poſita extrahi, aut amoueri: nec tres illi ſibi inuicem
pro ea extrahenda conſentire ualeant: nec ipſi Præ/
lato in hoc obedire reliqui duo teneantur, niſi ali/
quando legitima urgente cauſa: tunc enim ipſam
pecuniam pro uſibus Conuentus neceſſariis Prælatus
extrahat licebit, ea tamen conditione, ut eãdem ſum
mam unà cum rata ſui anni portione eodem, unde
abſtulerat, reponat antequàm ad Capitulum genera/
le proficiſcatur, de'q; eo fides ſimiliter in literis ſo
cii fiat. Et ſi contra præſentem prohibitionem quiſ
quam facere auſus fuerit, uel aliquid attentare præ/
ſumpſerit, priuatus iam tunc per triennium uoce acti
ua, & paſſiua exiſtat: & pœnam grauioris culpæ ar/
bitrio Prioris generalis, & Viſitato℞ ferre teneatur.

De Capitulo generali: et de electione Prioris generalis, et Viſitatorum, ac Subſtituti, Cap. XXXI.

CAPITVLVM quidem generale ſingulis annis celebretur feria ſecunda poſt dominicam tertiam à reſurrectione Domini, idq́; pro commoditate Canonicorum noſtrorum ad ipſum Capitulum uenientium, præſertim eorum, qui longius abſunt, ut Neapoli, Romæ, Genuæ: quod Capitulum ultra octo dierum ſpatium prorogari non liceat, niſi ob cauſam neceſſariam Prælato maiori, & Definitoribus uideatur per unum, uel duos uel tres dies, uel quotquot opus fuerit ulterius illud eſſe prorogandum: quod tamen facere illi nequeant ſine conſenſu maioris partis eiuſdem Capituli generalis. Capitulum autem generale dicimus, ſeu nominamus Priorem generalem Ordinis, & Viſitatores, ſingulosq́; Abbates, Præpoſitos, ac Priores conuentuales, cum ſingulis ſociis, ſecundum formam in capitulo De aſſignatione ſociorum Prælatorum cõuentualium poſitam electis, ac Procuratorem generalem Ordinis: cuius quidem Capituli generalis diſpoſitioni, ordinationi, reformationi, obediẽtiæq́; uniuerſa monaſteria, prioratus, domus, conuentus, oratoria, loca, res, & bona tam præſentia, quàm futura cum ſuis membris, capellis, iuribus, ac pertinentiis; nec non pſonas tam clericos, quàm Cõuerſos, & Cõmiſſos, ſeu Laicos, ac alios iiſdem deſeruientes, ſubiectos eſſe declaramus, & per præſentes omnia unita, ac ſubiecta omnino in perpetuum eſſe decernimus: cuius etiam uiſitationi, & correctioni omnia præfata ſubiicimus: nec alius, quàm ipſum

Capitulum,

Capitulum, ſeu ab eodem generaliter, uel particula riter deputatus, q̄ſpiam ualeat quoquomodo aliquam iuriſdictionem in iis exercere, aut aliter ſe intromitte re. Nec ullus omnino fratrum noſtrorum, cuiuſcunq; gradus, & conditionis exiſtat, præter eos, quos ſu pra è corpore Capituli generalis eſſe diximus, ad ipſum generale Capitulum accedere præſumat, niſi de licentia Prioris generalis in ſcriptis habita, aut (ſi neceſſitas aliqua tempore eiuſdem Capituli ur/ gens expoſtulet) de conſenſu ſuorum Superiorum, ac maioris partis Canonicorum ſui Conuentus, atq; etiam cum literis teſtimonii illorum manu ſubſcrip tis, ſub pœna priuationis actiuæ, & paſſiuæ uocis ad triennium: quàm illicò incurrant, quicunq; contra hanc conſtitutionem fecerint. Quod ſi, qui uenire præſumpſerit, priuari non poterit, propterea quòd uocem non habeat in Capitulo, pœnæ grauioris cul pæ ad tres menſes ſubiaceat. Qui autem ſunt è corpore eiuſdem Capituli, ita demum ad ueniendum ſe præparent, ut ſemper in loco eiuſdem Capituli ſabbato ante prædictam Dominicam tertiam poſt Re ſurrectionem inueniantur: qua Dominica poſt No/ nam congregatis omnibus in Capitulo, qui ſunt è corpore eiuſdem, ſocii Prælatorum conuentualium literas ipſorum aſſignationis Priori generali, & Vi/ ſitatoribus legendas publicè reddant: quibus lectis, atq; etiam coràm auditis duobus teſtibus electionis ſocii Prælati illius Conuentus, ubi Capitulum gene rale celebrandum eſt, continuò Prior generalis quæ/

rat, an Prælati illorum Conuentuum, qui debēt ſol
uere quindecennium, poſuerint portionem ſibi con
tingentem ipſius quindecennii in capſulam ad hoc
deputatam: & ſiquem repererit hoc neglexiſſe,
eum pronuntiet uoce priuatum: nec is in eodem Ca
pitulo uocem habere actiuam, neq; paſſiuam poſſit.
Diligenter quoq; perſcrutetur, num quis ſit propter
practicas, aut aliam quancunq; cauſam uoce priuan/
dus, & quotquot repererit, uel per practicam ſcien/
ter electos eſſe, uel practicam aliquam feciſſe, ut ip
ſi, uel alius eligerētur, uel aliquid ſimile perpetraſſe,
cum aliorum conſilio declaret dictum, uel dictos uo
ce priuatos, à qua declaratione, uel ſententia nullus
ualeat appellare. Poſt hæc omnia dicat Prælatus ma
ior, Adiutorium noſtrum, &cætera, ut ante, & om
nes dimittantur. Craſtino autem die, ideſt feria ſe/
cunda, dicta prius Prima in aurora, & cantata à Prio
re generali Miſſa Spiritusſancti, cum Gloria in ex/
celſis, & Credo ſolenniter, congregatisq; omnibus
electoribus prædictis, cæterisq; Canonicis, qui adeſſe
poterunt, per ſonum campanulæ in loco Capituli,
Prior generalis flexis genibus in medio Capituli co
ràm omnibus humiliter officio ſuo renuntiet in ma
nibus Vicarii generalis, tradens eidem ſigillum offi
cii ſui Generalatus: qui Vicarius generalis, ſi qua ei
dicenda uidebuntur, dicat: & nomine, ac uice totius
Capituli ipſam renuntiationem, & ſigillum ab eo be
nignè ſuſcipiat. Tum Prior generalis facta huiuſmo
di renuntiatione, ſurgens ad locum ſuum accedat,

 quem

quem ex ui huius conſtitutionis eſſe uolumus toto Capituli tempore ſtatim ſub Capituli ipſius Defini/toribus, & ſuper omnes Prælatos conuentuales. Is itaq; Prior generalis ex ui priuilegiorum noſtrorum, præſentisq; conſtitutionis, hoc ipſo die, & hora ſem per intelligatur abſolutus, & ſic ex nunc, prout ex tunc eum abſolutum eſſe declaramus ab officio gene ralis Prioratus ipſo ſtatim cōgregato Capitulo, etiam ſi minus, quàm per annum in eodem fuiſſet, nec actu eidem renuntiaſſet officio: à quo per biennium uacare, nec ad illud quoquomodo, niſi poſt bienni/um, rurſùm aſſumi poſſe decernimus: tametſi eum uocem actiuam, ſeu ius ferendi ſuffragii in ipſo Ca pitulo generali habere uolumus. His itaq; peractis, Cantores incipiant cantare hymnum Veni creator ſpi ritus, quem cæteri per ſuos uerſus alternatim cantan tes uſq; in finem proſequantur: deinde iidem Can/tores dicant

Ver. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, Alleluia, et cæteri omnes

Reſ. Et renouabis faciem terræ, Alleluia.

et Vicarius generalis

Oro. Oremus: Deus qui corda fidelium Sancti ſpiri tus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiri tū recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gau dere, Per Chriſtum dn̄m noſtrum. Reſ. Amen.

Deinde excluſis, qui non ſunt è corpore Capituli, ce lebretur Prioris generalis electio, eo modo uideli/cet, ut per Vicarium generalem ꝓponatur per quam

potiſſimum uiam uolunt ad electionem procedere, an per ſcrutinium, an per communem inſpirationem, an per compromiſſum. Quòd ſi per ſcrutinium, ideſt per inquiſitionem uoluntatum, quæ fit ſecretò, procedere uolunt, eligantur tres è Capitulo, qui uota eligentium ſuſcipere habeant, eo modo, ut qui primam uocem habet nominet aliquem unum ex ipſo Capitulo, & ſtatim ſcrutetur per fabas albas, & nigras, utrùm cæteri aſſentiant: qua ſcrutatione facta, ſi maior pars in eum conſenſerit, habeatur pro ſcrutatore electo: & ſic deinceps (ab antiquioribus ſemper incipiendo) tot à pluribus nominentur, ac proponantur, ut tres remaneant modo prædicto electi: qui tres ſic electi ante hoſtium Capituli in oculis, & conſpectu omnium ad menſam ad hoc paratam reſidentes ſcrutari habeant ſingulorum eligentium uoluntates, cæteris in ipſo Capitulo cum ſilentio reſidétibus, unde nullus audeat, abſque neceſſitate, & licentia recedere. Ac primum quidem ipſi ſcrutatores uota ſua ſcribant in ſingulis ſchedulis in pyxide reponendis, hoc modo, & ordine, ut antiquior ex ipſis uoluntatem ſuam primus ſcribat, deinde alterum antiquiorem uocet, & auditam illius uoluntatem ſimiliter ſcribat: qui poſtmodum unà ambo reſidentes ſimiliter audiant uoluntatem tertii ſcrutatoris, & ſcribant: ſed antequàm in pyxide ſchedulæ reponantur, primus oſtendat & ipſe ſuam ſchedulam aliis duobus. Poſteà ipſi tres ſimul reſidentes, habentesq; nomina eligentium per ordinem profeſ-

ſionis

ſionis ſcripta ſingulos nominatim uocent, & audiant uota omnium ſigillatim, & ſecretò, atq; ea ſcribant modo ſupradicto: quibus omnibus auditis, & ſcrip/tis, & facto per Vicarium generalem calculo, ſtatim ſcrutinium publicetur: hoc declarato, quod nullius fieri, uel formari in Priorem generalem electio po/terit, niſi in quem duæ ſaltem ex tribus partibus om nium eligentium concordauerint. Accedente itaq; dictarum duarum partium conſenſu, Vicarius gene ralis, uel alius uices eius gerens ſtatim pronuntiet ele ctionem hoc modo. Ego frater. I. Vicarius gene/ralis uice mea, & omnium electorum præſentium, eli go fratrem A. in Priorem generalem, & patrem re/uerendum totius Congregationis noſtræ. Si uerò per uiam communis inſpirationis procedere decreue rint, tunc Vicario generali unum quendam pronun tiante, ac dicente eum ſibi bonum uideri, & ſe illum uelle, & eligere in Priorem generalem: ſi omnes alii idem dixerint, tunc nihilominus ſicuti prius, qui pri mam uocem habuerit ſurgens dicat Ego frater. I. ui ce mea, & omnium electorum præſentium eligo, & cætera, ut ſupra. Deniq; ſi per uiam compromiſſi decreuerint procedere, & omnes concorditer com/miſerint uoces ſuas uni alicui ſoli uel pluribus, ille intelligatur electus, & habeatur pro electo, quem il/le uel illi, quibus commiſſum eſt, nominauerint, uel elegerint: dommodo ille, in quem concor/dauerint, & ille uel illi, quibus commiſſum eſt, ſint clerici, & noſtri Ordinis Canonici. Poſt quæ

eidem tradat ſigillum Generalatus officii Vicarius generalis manum illius humiliter oſculando. Deniq; ſic electus, poſtquàm aſenſum præbuerit, & acceptauerit, ex ui priuilegiorum Ordinis noſtri, præſentiſq; conſtitutionis, tanquàm ab apoſtolica ſede confirmatus, iam tunc ſit uerè noſtri Ordinis generalis Prior, & pro generali Priore reuerenter ab omnibus habeatur. Tum uerò pulſentur campanæ, & Cantores ſtatim Te deum laudamus cantare incipiant: quo incepto, Canonici omnes ꝓceſſionis ordine in Eccleſiam iunioribus præcedentibus uadant, hymnum ipſum proſequendo, quem ibi in choro ſtantes perficiant, eoq; expleto, Cantores ante altare dicant.

Ver. Saluum fac ſeruum tuum, alleluia. & cæteri

Reſ. Deus meus ſperantem in te, alleluia.

Deinde Vicarius generalis ſubiungat, cæteris uiciſſim reſpondentibus, ſic

Ver. Domine exaudi orationem meam.

Reſ. Et clamor meus ad ueniat.

Ver. Dominus uobiſcum.

Reſ. Et cum ſpiritu tuo.

Oro. Oremus: Omnipotens ſempiterne deus miſerere famulo tuo fratri. A. Priori generali noſtro, & dirige eum ſecundum tuam clementiam in uiam ſalutis æternæ, ut te donante tibi placita cupiat, & tota uirtute perficiat, Per Chriſtum dominum noſtrum. Reſ. Amen.

His expletis, ipſi Priori generali in loco ſuperiore ſedenti, omnes Canonici, ac fratres noſtri humiliter,

&

& reuerenter flexis genibus in ſignum ſubiectionis,
& obedientiæ manum oſculentur: quos ipſe beni/
gnè ſuſcipiens benedicat: & in fine omnium eos di
mittat dicens Adiutorium noſtrum, & cætera, ut a/
liàs dictum eſt. His itaq; peractis, eiuſdem diei ma
ne, ſi fieri poterit, alioquin poſt Nonam, uel ad ex/
tremum ſtatim poſt Veſperas, tres ex Canonicis, qui
ſunt è corpore eiuſdem Capituli in Viſitatores ſin/
gulatim eligantur eodem modo, & forma, quibus
Prior generalis: hoc tamen declarato, quod illi in/
telligantur electi, in quos maior pars electorum con
cordauerit, quemdmodum hactenus laudabili, ac
perpetua conſuetudine in Ordine obſeruatum eſt.
Viſitatoribus igitur ſic electis, Prior generalis eo/
rum electionem ſingulari numero pronuntiet dicẽs.
Ego frater. A. Prior generalis uice mea, & omnium
præſentium electorum eligo fratrem. H. & fratrem.
L. & fratrem. P. in Definitores præſentis Capituli
generalis, et ſucceſſiuè in Viſitatores totius Congre
gationis noſtræ. Si uerò contingat aliquem ex Vi
ſitatoribus anni præcedentis in Priorem generalem
aſſumi, alius è corpore eiuſdem Capituli poſt præ
dictorum electionem loco illius eodem modo, &
forma, quibus Viſitatores, electus ſubſtituatur: qui
omnes ſic electi unà cum aliis Viſitatoribus anni præ
cedentis & Priore generali, ſeu (ſi Prior ipſe gene
ralis tum fortè præſens non aderit) cum Vicario
generali Definitores eiuſdem Capituli exiſtentes cun
cta ſimul diſcutiant, tractent, atq; definiãt, quæ ſibi

ad dei honorem, religioniſq; profectum utiliora ſo
re cognouerint: & ſiquando in rebus deliberandis,
atq; definiendis non concordarint, quatuor ipſo/
rum ſententia præualebit. Subſtitutum autem lo/
co Prioris generalis eo ipſo anno ad omne officium
eligi, ſequenti uerò etiam ad uiſitationis officium
aſſumi, non tamen iterùm Subſtitutum fieri poſſe,
ſed ab eiuſmodi officio uno ſaltem anno uacare de/
bere declaramus, ac uolumus. Ipſis autem Defini/
toribus in iis, quæ tractanda, ſeu definienda ſunt,
ac quibuſdam aliis Canonicis, ex Definitorum man
dato occupatis, cæteri, qui ſunt è corpore Capituli
ab illis non occupati, cum reliquis Canonicis cõuen
tualibus bono exẽplo uiuẽdo ſimul diuinis laudibus,
ac domeſticis ordinationibus, & cerimoniis (quan/
tùm fieri poterit) intereſſe ſtudeant, ne ad alios or
dinandum congregati, ipſi contra regularem diſci/
plinam uiuẽtes, cæteris exemplum diſſolutionis præ
bere dignoſcantur. Quo circa Prior generalis, qui
officio renuntiaturus Miſſam Spirituſſancti (ut di/
ctum eſt) cantauit, ipſe tabulam indicem officio/
rum eccleſiaſticorum pro Miſſis cum Diaconis, ac
Subdiaconis cantandis per totum Capituli tempus
conficiat, cui omnes in eo parere teneantur.

De electione Procuratoris generalis: et de alijs in Capitu lo generali agendis.

Cap. XXXII.

Cum

CVM autem die ſequenti, ideſt feria ter/
tia mane Prior generalis cum Defini/
toribus in Capitulum ingreſſus fuerit,
ante omnia ſimul tractent de creatio/
ne noui Procuratoris generalis ad Romanam Curi/
am, uel aliò, quocunq; opportunitas uocauerit, mit
tẽdi: & facta prius inter ſe matura, & diligẽti diſcuſ
ſione in Definitorio, tres eligant, quos ad hoc ido/
neos fore iudicauerint: nec eos tamen anteà ullate/
nus, niſi cum tempore congruo in uniuerſo Capitu
lo proponendi fuerint, nominent: in quo etiam
hunc modum, ac formam poſt hac ſeruandam eſſe
decernimus, ut non omnes ſimul, ſed ſinguli ſeor
sùm nominentur, atq; eligendi proponantur. Qui
igitur primus propoſitus fuerit, ſi ultra medietatem
ſuffragiorum obtinuerit, is demum iam tunc Procu
rator generalis anni ſequentis eſſe intelligatur, & ab
omnibus habeatur, reliquis duobus ſilentio præter/
miſſis: alioquin eodem modo, ac ordine alter de/
inceps, ac tertius nominetur, ac proponatur, donec
facta canonica fuerit electio. Poterunt etiam iidem
Prior generalis, & Definitores ordinare, ſeu conſti/
tuere tres ex eiuſdem corpore Capituli Canonicos,
qui uidere habeant computus, ſeu rationes accepti,
& expẽſi ſingulorum monaſteriorum, omniaq;, quæ
per electos, & à ſingulis Conuentibus (ut ante ca/
pitulo trigeſimo dictum eſt) ad huiuſmodi ſuppu
tandas monaſteriorum rationes aſſumptos, in ſcriptis
ad ipſos Definitores tranſmiſſa fuerint: ut de om/

nibus benè inſtructi fideliter ad prædictos Patres referre ualeant. Teneantur tamen ipſe Prior generalis, & Viſitatores tempore uiſitationis deferre ſecum huiuſmodi computus, ſeu billancia monaſteriorum, quæ in Capitulo generali (ut præfertur) prædictis iudicibus aſſignata, & ab eis examinata fuerũt, illaq́; dicto uiſitationis tempore in ſingulis Conuentibus conferre cum libris, & rationibus, atq; capitibus ordinariis, ut uideant, concordent ne'cne. Eligant inſuper Definitores prædicti tres alios è corpore Capituli, qui auditores, & iudices exiſtant cauſarum, nempe ad audiendas, diſcutiẽdasq́; omnes, & ſingulas controuerſias, & querelas ante ſe factas occaſione librorum à ſingulis Conuentibus ablatorum, aut rerum quarunlibet, ſeu pecuniarum pro indumentis, & pro aliis huiuſmodi debitarum, iuſtitiam omnibus miniſtrando, & quæ determinauerint, ſcripturæ commendando. Siquis autem ſiue Prior, ſiue quiuis alius tantæ temeritatis fuerit, ut quæ per eos iudices deliberata, atq; decreta ſuper huiuſmodi fuerint, non omni ex parte exequatur, à Definitoribus ipſis, ut ea executioni mandet, curetur: quod ſi ne tum quidem iis parere uoluerit, in Capitulo generali proximè futuro uoce actiua, & paſſiua priuatus pronuntietur. Siquis tamen de iis, quæ illi ordinauerint, ſe grauatum ſenſerit, ad Priorem generalem, & Definitores appellet licebit, & quicquid demùm per eos determinatum fuerit, humiliter accipere, eorumq́; ſententiæ parere teneatur. Cum autem quicquam de

monaſterio

monaſterio alicuius eorum trium tractabitur , cæteri
duo tertium quempiam loco ſocii iam ab ipſis exclu
ſi eligant , donec expedita fuerit illius monaſterii
cauſa : ita ut nullus unquàm in re propria iudex exi
ſtat. Decernimus inſuper , ut in Capitulo generali
ſingulis annis à Priore generali , & Definitoribus tres
alii ex omni Prælatorum numero eligantur , qui co
gnoſcere , examinare , ac perpendere diligenter ha
beãt quaſcunq; uenditiones , permutationes , ſeu alie
nationes bonorum immobilium eo anno in monaſte
riis factas . Quo circa omnes monaſteriorum ipſo
rum Prælati inſtrumenta , & contractus ſuper huiu/
ſcemodi confectos , ſeu eorum exempla ſecum ad
Capitulum generale deferre , & iudicibus prædictis
unà cum literis conceſſionis , aut facultatis à Capitu
lo generali , aut intra annum à Priore generali , & Vi
ſitatoribus cõceſſæ tradere teneantur , ut nimirum ex
iis cognoſcere , an ritè alienationes , aut permutatio
nes illæ (ut ordinatum fuerat) factæ , ac inde con
tractæ pecuniæ in aliis prædiis , ſeu bonis ſimilibus
immobilibus collocatæ fuerint , poſſint : in quibus
quidem ſi eos deliquiſſe compererint , rem ad Prio
rem generalem , ac Definitores referant , qui quantò
citius , quantoq; melius fieri poterit , quæ in illis uel
errata deprehenderint , corrigenda , uel omiſſa , dili
genter adimplenda curent . His etiam iudicibus Prior
generalis ſuperioris anni , qui uidelicet iam officio
ſuo functus eſt , de pecunia ſibi pro officio ſuo aſſi
gnata ; & Procurator generalis de expenſis in Ro

mana Curia, uel alibi tam pro uniuerſa Congregatio
ne, quàm pro ſingulis monaſteriis, locisq́ꝫ Congre/
gationis à ſe factis rationem reddere teneantur.
Quamobrem ipſe Procurator generalis quotannis,
ad Capitulum generale ueniens rationes, & compu/
tus expenſarum huiuſmodi, Congregationis, & mo
naſteriorum (ut dictum eſt) nomine factarum tam
pro Beneficiis impetratis, quàm pro quibuſcũqꝫ aliis
negotiis, & cauſis, ſecum deferre teneatur, ut uideli
cet & in monaſteria pro rata parte debitum diſtribui,
& campſoribus diſſolui in tempore poſſit, ne fœ/
nus in Congregationis detrimentum immenſè creſ/
cat: idq́ꝫ ſub pœna uocis actiuæ, ac paſſiuæ priua
tionis ad triennium. Proinde Prælatus quiſqꝫ con/
uẽtualis huiuſmodi portionem ſuam per totum pro/
ximè futurum menſem Octobrem perſoluere tenea
tur: quod ſiquis non fecerit, is nec actiuam, nec
paſſiuam uocem habere in proximè ſequenti Capitu
lo generali poſſit, ſed per Priorem generalem cum
literæ ſociorum Prælatorum in Capitulo recitantur,
utriuſqꝫ uocis, ſeu ſuffragii iure in omnibus electio
nibus, & in aliis quibuſcunqꝫ in ipſo Capitulo pertra
ctandis priuatus palàm pronuntietur: quam eandem
pœnam Procuratores monaſterioꝝ, qui idem pro/
curare neglexerint, ad triennium agant. Verumta
men ne monaſteria plus nimiò, & ſupra quàm ipſo/
rum ferre facultates poſſint, grauentur, ſed ſingu/
la portionem ſuam commodè perſoluere queant,
ordinamus ut nullus nec Prior generalis, nec Viſita
tor

tor Congregationis noſtræ pro ſuo ipſius officio im ponere niſi taxam unam in ſingulos annos poſſit, de qua etiam (ut dictum eſt) rationem reddat. Huius quoq; ſanctione decreti ordinamus, ut certus liber habeatur, in quo rationes, & computus depoſiti in Romana Curia pro Congregationis noſtræ cauſis, ac negotiis conſtituti annotentur, ac deſcribantur: quos etiam per tres illos iudices prædictos diligenter inſpici, atq; examinari, librum uerò Venetiis in monaſterio. s. Saluatoris penes illius monaſterii Priorem aſſeruari, & ab eodem ad Capitulum generale quotannis deferri uolumus, atq; mandamus. Poſt Nonam uerò facto ſigno Canonici omnes, etiam qui non ſunt è corpore Capituli ad Capitulum conueniant, & Spiritusſancti, à quo filii dei aguntur, inuocata prius gratia per

Ant. Veni ſancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.

Ver. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, alleluia.

Reſ. Et renouabis faciem terræ, alleluia.

Orō. Oremus: Deus, qui corda fidelium, & cætera: Patribusq;, & Canonicis reſidētibus, & loca ſua per ordinem tenentibus, quia indigentibus quàm citius ſubueniendum eſt, obitus fratrum, parentum, ꝓpinquorum, ac benefactorum Ordinis noſtri, & præſertim eorum, qui habent literas participationis, poſt Capitulum generale anni proximè præcedentis defunctorum in communi, omnibus audientibus, commemoretur: pro quibus ſtatim fiat etiam in communi

oratio, dicto pro eis pſalmo De profundis ſub anti
phona Si iniquitates, & cæteris omnibus, quæ ſupra
capitulo uigeſimooctauo De Capitulo quotidiano
pro omnibus fidelibus defunctis dicēda notata ſunt;
Deinde fiat uiuorum commendatio, pro quibus dica
tur pſalmus Ad te leuaui oculos meos, cum reliquis;
ut in eodem capitulo ordinatè continetur: & ante/
quàm Canonici ex ipſo Capitulo recedant, fiat ex/
communicatio contra proprietarios in forma, quam
quilibet Prælatus in ſuo Conuentu intra duos dies
poſtquàm applicuerit, ſimiliter facere, ac publicare
teneatur. Poſteà uerò qui non ſunt è corpore Capi
tuli, ad iuſſum Prioris generalis egrediantur: & tum
ſiqui literas aliquas habent ad ipſum Capitulum ge
nerale deſtinatas, illicò Patribus reddant publicè om
nibus recitandas: quæ autem ſolis Definitoribus di/
rectæ ſunt, ab illis ſolis ſecretò legantur. Perlectis
itaq; literis ad uniuerſum Capitulum generale dire/
ctis, tractetur ab omnibus ſimul, quid ſuper negò/
tiis in dictis literis contentis agendum, aut reſpon/
dendum ſit, ut & loco, & tempore de iis plenè per
ipſos Patres, aut per deputatos ab illis maturè, &
cum charitate reſpondeatur. Deinde tempore con
gruo, qui uolent aliqua proponere, ſurgētes coram
uniuerſo Capitulo proponant, ſuper quibus ſiquis
aliquid approbando, aut reprobando dicere uolue/
rit, liberè, ac religiosè dicat: tum auditis omnibus,
ſcrutatiſq; more conſueto omnium ſententiis, & uo
luntatibus, ſi diuina inſpirante gratia aliquid obten

tum

tum fuerit, in acta referatur, atq; annotetur: ſin au/
tem repudiatum, atq; reiectum, patienter toleretur.
In hoc tamen illud ſtatuẽdum eſſe duximus, ut qui
aliquid huiuſmodi pro conſtitutione proponere uo/
luerit, id prius in ſcheda deſcriptum ualuis Capitu
li, uel in alio idoneo loco affigat, quo ab omnibus
ante conſpici, & conſyderari poſſit, quàm in Capi/
tulo diſcutiendum proponatur. Generale tamen Or
dinis ſtatutum, uel conſuetudinem diu in Ordine
obtẽtam, & communiter approbatam nullus quidem,
etiam Prior generalis, uel Viſitatores ualeãt aliqua
tenus immutare, uel alia noua inſtituere: nec omni/
no quicquam huiuſmodi uim conſtitutionis habeat,
niſi à duabus ex tribus partibus per tria Capitula ge/
neralia continuè, & immediatè ſubſecuta, ordine, ac
forma, quibus paulò antè dictum eſt, fuerit obten/
tum, approbatum, & cõfirmatum: nec id tamen pra
cticari ualeat ante tertii Capituli approbationem.
Quare ſiquis ante tertium Capitulum, & approba/
tionem huiuſmodi aliquod nouum ſtatutum practi/
care auſus fuerit, is pœnam grauis culpæ ſe illicò
incurriſſe cognoſcat. His omnibus maturè peractis,
eorũdem Prioris generalis, & Definitorum ſtudium,
atq; officium erit, ita prudenter inter ſe examinare,
atq; diſcutere quoſcũq; Prælatos præficere Cõuenti
bus uoluerint, ut ex eis dei honor, & religionis ꝓfe
ctus ualeat reſultare. Et qñ plures Eccl'iæ, & anti/
qua monaſteria anteà diuerſis tp̄ibus Abbatiaꝝ, Præ
poſituraꝝ, ac Prioratuum Congregationis nſæ mẽſis

fuerunt unita, & earum unionum uigore Eccleſiarum huiuſmodi, ac monaſteriorum tituli penitus ex/tincti: ne aliqui inter eos præcipui nominis, ac di/gnitatis obliuioni prorſus mandentur, dignum ui/ſum eſt ſtatuendum, ut Prior generalis, & Definito res huius authoritate decreti poſſint ad ipſorum ar bitrium huiuſmodi titulis, ac dignitatibus aliquos Congregationis noſtræ Patres, præſertim ſeniores decorare, eosq; huiuſmodi Eccleſiis, ac monaſteriis titulo tenus annuatim præficere, uel amouere: qui ſic electi dum his titulis, ac nominibus potiuntur, teneant locum ſuum in Eccleſia, & ubiq; ſtatim poſt Vicarium monaſterii, & poſt ordinarios aliorum mo naſteriorum Prælatos: nec in tabula Officiorum, quæ ſabbato legitur, notentur. Nolumus tamen propterea hos Titulares habere nec acceſſum ad Ca pitulum generale, nec uocem in eo, niſi eos forte (ut conſuetum eſt) eligi contigerit: nec ullam om nino adminiſtrationem in rebus, ac bonis locorum huiuſmodi titulorum gerere: nec aliquid pecuniarum penes ſe, aut alium retinere: nec aliorum Canonicorum aut fratrum noſtrorum, aut ſecularium confeſſiones audire, uel ſe alteri cōfiteri, niſi de expreſſa ſuorum Superiorum licentia: ſed eos titulis, dignitatibus, & exemptionibus huiuſmodi ſimpliciter (ut dictum eſt) gaudere decernimus. Præterea Definitores ipſi inter ſe pertractent, ac uideant, an aliqui alii Offi/ciales in Conuentibus quibuſcunq; innouandi, uel Canonici, aut fratres mutandi, an aliqui etiam pœ

nitentiis

nitentiis afficiendi, uel à pœnitentia abſoluēdi ſint: de quibus omnibus, & aliis iis ſimilibus neceſſariis Prælatus maior unà cum Definitoribus tractabit, & deliberabit. Nullus tamen ipſorum Definitorum de ſe ipſo quicquam determinare, aut definire ualeat: ſed extra Capitulum, ſeu Definitorium ſecedens, dum de ſe determinabitur, expectet: & quicquid, domino inſpirante, ordinatum fuerit, ipſe quoq;, ſicut cæteri, humiliter, & deuotè de manu Domini ſuſcipiat. Statuendum etiam ſemper eſt antequàm Capitulum diſſoluatur per eoſdem Definitores, quo in loco proximè futurum Capitulum ſit celebrandum, quod inde poſteà abſq; magna neceſſitate minimè amoueri liceat: occurrente uerò urgente, & legitimo impedimento, ex quo ibidem celebrari non poſſit, per Priorem generalem, & Viſitatores locus alius idoneus prouideatur, & tempore congruo ſingulis Conuentibus, uel Prælatis intimetur. Vltimo autem die Capituli ingrediatur iterùm Prælatus maior cum omnibus Canonicis, & fratribus Capitulum, in cuius manibus omnes Prælati Officiis ſuis renuntient, ſinguli ſuorum ſigilla Officiorum ipſi Priori generali tradentes, manumq; oſculantes: & poſtmodum ad ſuæ quiſq; profeſſionis locum reuertantur. Deinde, quæ definita ſunt, & ſcriptis mandata in Capitulo coram omnibus palàm legantur, ac publicè recitentur: & quicquid, Spiritu ſancto donante, determinatum, ac publicatum fuerit. Capitulum uniuerſum humiliter, ac deuotè ſuſcipiat:

nullus murmuret, nullus reclamet, nullus contradi
cat. Quapropter ordinamus, & obſeruari uolumus,
ut quicunq; Patrum noſtrorum electus fuerit in Prio
rem generalem, ſeu Prælatum conuentualem, ſeu ad
aliud quodcunq; Officium, id nullo modo nec la/
bore oneris, nec alia cauſa renitendo declinare, ſed
obedientiæ, & charitati caput humiliter ſubmitten/
do omnino acceptare teneatur. Poſt hæc omnia Præ
lati Conuentuum qui in ipſo Capitulo præſentes ex/
titerint, ad Priorem generalem ad eius iuſſum acce
dentes ſigilla officiorum ſuorum humiliter accipiāt,
eiuſq; manum oſculentur; qui uerò abſentes fuerint,
ad eos uel per ſocium Prælati, uel per alium Cano
nicum ſigilla tranſmittantur. Poſteà, ſi tempus qui/
dem ſupererit, audiantur in communi fratrum cul/
pæ, ac præſentibus quidem per Prælatum maiorem
pœnitentia iniungatur, abſentibus uerò per Præla/
tos ſuos tranſmittatur, uel imponatur. Deniq; fiat
generalis confeſſio, & abſolutio, deturq; omnibus
benedictio, & ſic Capitulum abſoluatur, ac omnes
dimittantur in nomine Domini. Volumus etiam,
& præſentium tenore ordinamus, ut per Priorem ge
neralem, & Definitores eligatur unus ex Canonicis
noſtris, qui tanquàm publicus notarius, oium actu
um Capituli ſit rogatus, & de iis publicum inſtrumen
tum conficere poſſit, cuius ſcripturis huiuſmodi in/
dubiam fidem, ac ſi apoſtolica authoritate notarius
publicus foret, uolumus adhiberi. Si qua tamen for
tè inciderent, quæ ad forum iudiciale deduci neceſſe

foret,

foret, poſſit ipſe tanquàm publica perſona alteri notario publico referre, qui de rogatis per eundem Canonicum, & ipſe publicum conficiat inſtrumentum: ad quoſcunq; ſeu profanos, ſeu eccleſiaſticos actus, ubi neceſſitas tulerit, deducendum.

De authoritate Prioris generalis, & Viſitatorum, ac Procuratoris generalis. Cap. XXXIII.

ABSOLVTO tandem diuina fauente clementia Capitulo generali, ſtudeant omnes tam Prælati, quàm Subditi, qui non ſunt ex Conuentu, in quo Capitulum celebratum eſt, ita ſe ab omnibus expedire, ut ad Conuentum ſibi aſſignatum quàm citius accedere ualeant, & præſertim Prælati, ne Conuentus Paſtorum ſuorum ſolatio deſtituti iacturam aliquam ſpiritualem, ſiue temporalem eorum abſentia patiantur, & oues dominicæ ſine cuſtodum diligentia luporum morſibus facillimè pateant. Priores quoq;, & alii monaſteriorum Prælati, cum ad ſuos peruenerint Conuentus, quàm citius poterunt quæ in Capitulo generali ordinata ſunt, legenda, ac recitanda publicè in ſuo quiſq; Conuentu curent: quæ omnia ſinguli de manu Domini abſq; contradictione ſuſcipere teneãtur: & qui è Conuẽtibus amoti, ad aliosq; deputati, & ordinati ſunt, non differant ſe ab omnibus expedire, & ad loca ſibi à Domino parata cum matura feſtinatione properare, ne eorum abſentia

(ut frequenter contingere poſſet) religionis uigor, & obſeruantia, morumq́ꝫ diſciplina nequeat obſerua ri. Prior uerò generalis ſemper calceatos pedes ha beat, paratumq́ꝫ ad omnia ſe exhibeat, ut iis, quæ ubiqꝫ neceſſaria occurrerint, ualeat prouidere: ad quem, tanquàm ad communem omnium patrem, & caput omnes accurrere, & quaſi ad matris gremium fouendi confugere poſſint. Nullus tamen ad ipſum Priorem generalem, quocunqꝫ loco cõſtitutum, præ ſens accedere præſumat abſqꝫ licẽtia ſpeciali antè ab ipſo Priore generali in ſcriptis habita, uel à ſuo Præ lato (ut decet) obtẽta: ſed ipſi Priori generali ſcribe re, ſiue per perſonam Ordinis noſtri ſua uota ſigni ficare unicuiqꝫ liceat. Verùm quoniam Prior gene/ ralis minimè uniuerſis ubiqꝫ occurrentibus negotiis ſolus per ſe ſufficere poteſt: propterea plenam eum habere uolumus tenore præſentium facultatem per unum, aut per plureis ex Viſitatoribus opportunè negociis poſſe prouidere: illosq́ꝫ ad quæcunqꝫ ne/ ceſſaria deſtinare, ac iiſdem uices ſuas in partem, uel in totum committere, prout ſibi ad honorem dei, religionisq́ꝫ profectum uiſum fuerit expedire. Ne/ queat tamen alicui uices huiuſmodi, præterquàm Vi ſitatoribus ipſis (ut dictum eſt) ulla ratione cõmitte re: & ſi ſecus factum fuerit, cõmiſſionem huiuſmo/ di ex nunc, prout ex tunc, irritam, & inanem, nul liusq́ꝫ roboris, uel momẽti omnino eſſe decernimus. Volumus inſuper ipſum Priorem generalem, ex ui præſentis conſtitutionis eandem authoritatem, qua

cæteri

cæteri Prælati conuentuales potiuntur, habere: ac præter illam, tantam habere in Ordine poteſtatem, quantam ei Definitores Capituli generalis, unà cum antiquiore Canonico uocem in electione habente, conceſſerint, & non maiorem. Poterit quoq; Prior generalis, cum ſibi uidebitur, & expediens eſſe iudicabit, aliquos ſibi reſeruare caſus, à quibus nullus abſolui queat, niſi ab ipſo, aut ab eo, cui ipſe uices ſuas commiſerit, præterquàm in mortis articulo. Si quando autem contigerit ipſum Priorem generalem intra annum ſui officii ab hac luce migrare, uel etiam ab officio legitimè amoueri, uolumus, & præſentium authoritate declaramus, officium ipſum Generalatus per antiquiorem ex Viſitatoribus exerceri debere: eumq́; in omnibus, & per omnia uices, & authoritatem illius obtinere ſtatuimus: qui tamen anno proximè ſequenti ualeat ad ipſum Generalatus officium (ſi Capitulo generali placuerit) non ſecus, ac ſi dictas uices non habuerit, promoueri. Poſſit etiam ipſe Prior generalis, cum ſibi opportunum uidebitur (cum conſilio tamen ſociorum ſuorum Viſitatorum, & conſenſu Prælatorum, & Vicariorum illorum Conuentuum, unde amouentur, & ad quos deſtinantur, uel eorum maioris partis) intra annum Canonicos, & fratres noſtros cuiuſcunq; cõditionis exiſtant, è Conuentibus amouere, & ad alia monaſteria deſtinare: cui omnes tanquàm patri ſibi à deo conceſſo, ſine ulla contradictione obedire teneantur. Curet tamen ipſe Prior generalis, ita prudenter, &

diſcretè uniuerſa tractare, & ordinare, ut nemini iu/
ſta commotionis cauſa, atq; offenſa præſtetur: ſed
ſciat ſe omnibus eſſe debitorem, & ſibi omnium
paci, ac quieti, quantùm in ſe eſt, ſalubriter, &
maturè eſſe conſulendum. Teneatur inſuper idem
Prior generalis, legitimo ceſſante impedimento,
unà cum tribus ſociis Viſitatoribus ſibi à Capitu/
lo generali aſſignatis coniunctim, aut (ſi eidem
pro ingruentia negotiorum magis uiſum fuerit ex/
pedire) ſeparatim hinc ipſe per ſe cum uno ex illis,
illinc per alios duos Viſitatores ſimul, prout ſibi pla
cuerit, ſemel ſaltem ſingulis annis quemlibet uiſitare
Cōuentum, quemadmodum etiam in priuilegio Pau
li ſecundi papæ latius continetur: quam quidem ui
ſitationem incipere teneatur die primo Auguſti, uel
ante: eamq; ultra dierum octo ſpatium in quolibet
Conuentu protrahere non poſſit: ac ipſam incipere
debeat infra dies duos naturales, ex quo ad Cōuen
tum applicuerit, & ſic deinceps ad alia monaſteria
pertranſire. In iis autem uiſitationibus ſtudeant ipſi
Prior generalis, & Viſitatores omnia maturè, & diſ
cretè tractare, ac perſcrutari: &, ubi inuenerint ali/
qua meritò punienda, ſine perſonarum acceptione
ita corrigere, & punire procurent, ut ſemper & rigo
rem uitiis, & naturæ miſericordiam exhibeant: nec
uitia, tranſgreſſionesq; ulla ratione impunita rema/
nere permittant, quoniam ſcilicet impunitas delicto
rum auſum peccandi ſubmiiniſtrat. Sed diligenter
præſertim inquirant, utrùm Priores, aliiq; Prælati
ab

ab aliis obſeruanda curarint, & ipſi obſeruauerint mãdata regulæ beati Auguſtini pr̃is noſtri, hasq́; conſtitutiones, & Eccleſiæ ordinarium: & ſi quos inuenerint in huiuſmodi deliquiſſe: aut in iis, quæ ſibi minimè conceſſa ſunt, diſpenſaſſe: aut conceſſis nimis largè abuſos fuiſſe, eos diſtrictè puniendos eſſe decernimus: quoniam non tam ſibi, quàm toti corpori obfuiſſe manifeſtum eſt: in quibus tamen delictis puniẽdis, quantùm poſſunt, modum, & formam in his conſtitutionibus traditam ſequi teneãtur. Quia uerò plures ſunt delictorum ſpecies, & caſus, quàm leges, in iis culpis, in quibus non eſt conſtituta pœna, iuxta ipſorum diſcretionem delinquentibus pœnitentia iniungatur, à qua nulli omnino tum appellandi locum, ac facultatem patere uolumus: ſed omnes tacitè, quietè, & patienter ferre decernimus. Ne tamen quiſquam indebitè, aut durius, quàm humana ferre poſſit infirmitas, fortè puniatur, ſiqui ſenſerint ſe grauatos, ad Capitulum generale recurſum habeant, à quo expectent iuſtitiam ſibi tempore debito miniſtrari, quam literis, uel nuntiis, per ſe, uel per alium intrepidè unicuiq; expoſcere liceat. Id ipſum etiam Viſitatores facere ſtudeant, cum ſolis ſine Priore generali (ut ante dictum eſt) uiſitare contigerit, quibus tanta uti authóritate concedimus, quantam eis Prior generalis commiſerit: qua tamen ita prudenter, & moderatè utantur, ut ſacræ religionis rigorem, & obſeruantiam cuſtodire, & non imminuere uideantur. Nullus tamen

prædictorum poſſit ſolus ordinariam facere uiſitatio nem, ſed ſemper unum ſaltem ſocium (ut ante etiam traditum eſt) habere teneatur. Poterit tamen Prior generalis authoritatem ſuam cuilibet illorum ſigillatim, uel coniunctim (cum ſibi opportunum eſſe uidebitur) circa particularia negotia incidentia committere, quibus tam Prælati ipſi, quàm ſubditi in omnibus, & per omnia, tanquàm propriæ ipſius Prioris generalis perſonæ, in eo obedire teneantur. Vt igitur dicti Viſitatores liberius ualeant ſuæ uiſitationis officium exercere, nolumus eos ullum aliquod officium, præter uiſitationem prædictam, dicto anno habere poſſe. Si autem per Priorem generalem, & Viſitatores ſuccedentes, qui præcedentium ueſtigia inquirere teneantur, inuentum fuerit ipſum Priorem generalem, ac Viſitatores præcedentes præter iuſtitiam aliquid feciſſe, aut diligenter officium ſuum non exercuiſſe, ſiue pœnitentias in conſtitutionibus taxatas delinquentibus non impoſuiſſe, illi etiam per eoſdem Priorem generalem, & Viſitatores ſuccedentes tempore Capituli generalis, aut uiſitationis debita pœna puniantur: & præſertim pœna iis debita, qui per eos puniendi erant, & impunes dimiſſi ſunt, ipſi cum omni diſtrictione plectantur. Vacent proinde dicti Viſitatores, finito ſuæ uiſitationis officio, & anno completo, per biennium, ita ut nec ad illud officium ullo modo iterùm aſſumi, niſi poſt exactum integrum biennium, nec etiam ſecundo huiuſce uacationis anno ad definitionem loco Vi

ſitatoris ad officium Generalatus aſſumpti ſubſtitui poſsint, quando id quidem legitimè conſtitutum eſt, ac per multos annos continenter in ordine obſeruatum. Si quem uerò ex prædictis Viſitatoribus intra annum ſuæ uiſitationis mori, uel ab officio amoueri contigerit, ipſe Prior generalis, & cæteri duo Viſitatores unà cum Priore, & Vicario illius Cōuentus, in quo ſe dictus Prior generalis repererit, ad quos ex ui præſentis cōſtitutionis, hanc talem electionem ſpectare decernimus, cumprimùm hoc eis innotuerit, alium loco ipſius defuncti, aut amoti intra menſem à die ſcientiæ ſubrogare teneantur. Si uerò Prior generalis in itinere repertus fuerit tempore ſcientiæ, tunc in eo Conuentu ea celebretur electio, ad quem primò pergere diſpoſuerat. Volumus prætereà Priorem generalem poſſe omni tempore ſuper his conſtitutionibus interdùm diſpenſare, iis exceptis, in quibus tenore præſentium ipſi eſt diſpenſandi interdicta poteſtas. Valeant & id ipſum Viſitatores facere, cum ſuo uiſitationis funguntur officio. Deniq; Procuratoris generalis ſecundum modum, & formam in proximè præcedenti capitulo contentam electi, officium erit in Romana Curia temporibus opportunis commorari, & negotia totius Congregationis cum omni diligentia, ac fide pertractare: qui licet generaliſsimum mandatum à Capitulo generali (prout oportet) habere debeat, eo tamen uti non poſsit, niſi prout Prior generalis, & Viſitatores authoritatem ipſius Prioris generalis habentes ordinauerint: quòd ſi dicto

Priori generali, aut Viſitatoribus inobediens, ac re/
bellis extiterit, ualeat per eos procurationis huiuſmo
di officio priuari, à qua ſententia nulla eum ratione
appellare poſſe decernimus: quod & de cæteris offi
cialibus quibuſcunq; intelligi uolumus, quos ex ſuis
demeritis per eoſdem ſuis officiis priuari contingat.
Ipſo autem Procuratore ab officio (ut dictum eſt) a/
moto, uel etiam (ſi fortè id accidat) mortuo, alius
per Priorem generalem, & Viſitatores loco eius
ſubrogetur, cui iidem pleniſsimum mandatum, ac ſi
generale Capitulum congregatum eſſet, authoritate
præſentium conſtitutionum concedere poſsint. Stu
deat igitur dictus Procurator officium ſuum diligen/
ter, & humiliter exercere, ne propter temporalem oc
cupationem fructum ſubiectionis amittat. Dictus
etiam Procurator à ſingulis Conuentibus prouiſio/
nes ſuas habeat, de quibus, ſicut cæteri, iudicibus (ut
ante dictum eſt) in Capitulo generali rationem ſingu
lis annis reddere teneatur: ad quod Capitulum eum
accedere, & in eo uocem habere uolumus. Qui etiam
ibi locum ſuum teneat proximè ſub omnibus Præla
tis in Capitulo generali congregatis: intra annum
uerò in Conuentibus ſub Vicario Conuentus illius,
in quo reperiri ipſum contigerit. Si uerò in Con/
uentu Romano idem Procurator in Priorem præfice
retur, tūc in Capitulo generali, & ubiq; locum ſuum
teneat inter Prælatos ſecundum profeſsionem ſuam,
& ſicut cæteri Prælati tenere conſueuerunt. Et ne Or
dinis negotia detrimentum aliquod patiantur ob Pro

curatoris

curatoris abſentiam, uolumus, & ordinamus, ut ipſi Procuratori ſocius aſsignetur, qui illo abſente ſub/ ſtitutus ab eodem, occurrentes Congregationis cau/ ſas tempore Capituli generalis, & aliis temporibus procurare habeat, & fine debito concludere poſsit; ac ideò ad ipſum Capitulum generale dictus ſocius nullo modo accedere ualeat. Nolumus autem per conſtitutiones huiuſmodi aliquem ad culpam, ſed ad pœnam tantùm, niſi propter præceptum, uel con temptum, obligari, prout in antiquis conſtitutioni/ bus ſemper ab initio Congregationis obſeruatum eſt, ut fratrum noſtrorum conſcientiæ, & animo/ rum quieti, ac tranquillitati poſsit eſſe conſultum. Hæc igitur dilectiſsimi fratres ſi auxiliante Domi/ no obſeruauerimus, ſperemus nos ab ipſo omnium bonorum remuneratore præmia conſecuturos æter na, quia fidelis eſt, qui promiſit dicens Qui mihi miniſtrat, me ſequatur, & ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit, IESVS Chriſtus dominus noſter, qui cum patre, & ſpirituſancto uiuit, & re/ gnat deus per infinita ſe/ cula ſeculorum.

Amen.

Finis.

Canonicorum Regularium Congregationis .s. Saluatoris, Ordinis .s. Auguſtini.

De officio Eccleſiæ. Cap. i. pag.
De confeſsione fratrum, et ſacra communione. Capitulum ſecundum. pag.
De ſuffragijs mortuorum. Cap. iii. pag.
De modo, & ordine legendi Regulam, & Conſtitutiones. Capitulum quartum. pag.
De refectione, ieiunijs, et abſtinentia. Cap. v. pag.
De modo, & ordine ſumendi refectionem. Capitulum ſextum. pag.
De iter agentibus. Cap. vii. pag.
De ueſtibus. Cap. viii. pag.
De raſura. Cap. ix. pag.
De cellis, & lectis. Cap. x. pag.
De cura, et regimine infirmorum. Cap. xi. pag.
De hoſpitum ſuſceptione. Cap. xii. pag.
De ſilentio. Cap. xiii. pag.
De literis, et mandatis non accipiendis. Cap. xiiii. pag.
De receptione nouitiorum in domum. Cap. xv. pag.
De receptione nouitiorum ad habitum. Cap. xvi. pag.
De inſtitutione nouitiorum. Cap. xvij. pag.
De diſcuſsione uitæ, & morum nouitiorum. Capitulum decimumoctauum. pag.

De profeſsione. Cap. xix. pag.
De obedientia, & ſubiectione. Cap. xx. pag.
De modo, & tempore promouendi Canonicos ad ſacros ordines. Cap. xxi. pag.
De rebus eccleſiaſticis, & temporalibus non alienandis. Capitulum uigeſimum ſecundum. pag.
De leui culpa. Cap. xxiii. pag.
De graui culpa. Cap. xxiiii. pag.
De grauiori culpa. Cap. xxv. pag.
De grauiſsima culpa. Cap. xxvi. pag.
De apoſtatis. Cap. xxvii. pag.
De Capitulo quotidiano. Cap. xxviii. pag.
De inſtitutione Abbatum, Præpoſitorum, & Priorum conuentualium, eorum'q; Vicariorum: & de aſsignatione Sociorum eorundem Prælatorum euntium ad Capitulum generale. Cap. xxix. pag.
De officio Abbatum, Præpoſitorum, & Priorum conuentualium, aliorum'q; Officialium. Cap. xxx. pag.
De Capitulo generali: et de electione Prioris generalis, et Viſitatorum, ac Subſtituti. Cap. xxxi. pag.
De electione Procuratoris generalis: & de aliis in Capitulo generali agendis. Cap. xxxii. pag.
De authoritate Prioris generalis, & Viſitatorum, ac Procuratoris generalis. Cap. xxxiii. pag.

INCIPIT ORDINARIVM

FRATRVM CANONICORVM

Regularium Congregationis s. Sal uatoris, Ordinis s. Auguſtini.

Quibus horis, et temporibus campanæ pulſandæ ſint: et quomodo intrare Eccleſiam, et celebrare Officium Canonici noſtri debeant.

CAP. PRIMVM.

AD OMNES horas canoni/cas ſemper pulſetur campana maior aliquãtulùm prius pro ſigno, donec poſsit dici ſe/mel pſalmus De profundis, prӕterquàm in Sexta, in qua Hora non pulſetur: & facto competenti interuallo, quo fratres, neceſſariis ex/peditis, commodè poſsint in Eccleſia conuenire, eadem, uel alia, ſi adeſt, prolixius pulſetur, ſaltem quouſq; pſalmus Miſerere mei deus maturè com pleatur: in qua pulſatione fratres ſint in Eccleſia congregati. Intrantes uerò Eccleſiam caput añ/te altare æqualiter, & pronius inclinent ſtatim ad loca ſua accedentes, & ibidem deuotè, & religiosè ſine ſuperſtitione morantes. In feſtis maioribus, et minoribus duplicibus ad Veſperas, & ad Matu tinum prolixè ter pulſetur, factis congruis inter/uallis: & iiſdem diebus ad Tertiam bis pulſetur

Digitized by Google

prolixè, facto congruo interuallo: & poſt Tertiam ad Miſſam pulſetur ſemel. Ad Miſſam uerò conuentualem ſingulis diebus pulſetur ſemel prolixè, antequàm incipiatur Introitus. In diebus dominicis, & feſtis ſemiduplicibus pulſetur campana magna, quando dicitur Te deum; & pulſetur uſq; ad uerſum Pleni ſunt cœli, & terra, dicendo maturè, etiam quando cantatur, ita ut non pulſetur prolixius, quando cantatur, quàm quando dicitur ſine cantu: exceptis tamen diebus interpoſitis intra quaſcunque Octauas, niſi occurrat feſtum duplex, uel ſemiduplex, ſicut feſtum .s. Crucis intra octauam Natiuitatis beatę Virginis: quia in conſimilibus eſt pulſandum. In duplicibus uerò & minoribus, & maioribus pulſentur illæ campanæ, quibus pulſatum fuit ad Matutinum. Diebus autem iis, quibus non cantatur Te deum laudamus, ad Gloria noni Reſponſorii: & quando non dicitur Gloria, ad repetitionem ultimi Reſponſorii aliquantulùm pulſetur. Ad Sanctus uerò in Miſſa, & ad eleuationem corporis Chriſti pulſetur aliquantulùm campana ea; qua pulſatum fuit ad ipſam Miſſam, uidelicet ſemel ad eleuationem hoſtiæ, & iterum ad eleuationem calicis. Et notandum eſt, quòd in hebdomada maiore feria quinta ad Matutinum pulſantur tres campanæ ter, ſi tot adſunt: ad alias autem Horas una tantum campana pulſatur bis, non ter. Verùm ante inceptionem Miſſæ ipſius quintæ feriæ in Cœ

 na

na Domini pulſentur tres campanæ ſemel tantum:
deinde uſq; ad diem Sabbati ſancti, quando inci
pitur Gloria in excelſis in Miſſa, nulla campana pul
ſetur, ſed tantum tabula ad hunc uſum parata, ad
quamlibet Horam bis aliquantulúm. Quibus au
tem diebus ex inſtitutione Ordinis fratres ieiu/
naut, iis ipſis circa horam ſextam à ſacriſta, uel
ab alio, cui id incumbit officium, campana de cho
ro, uel de Capitulo bis pulſetur, facto congruo in/
teruallo: & fratres in Eccleſia congregati cantent,
uel legant Nonam ſecundum Superioris, uel Ma
ioris arbitrium: & deinde adueniente hora nona,
conſueta campana magna pulſetur.

Quando conuerſi ad altare, et quando uerſis inter ſe uultibus in choro Officium celebrare Canonici noſtri debeant. Cap. II.

COngregatis itaq; in Eccleſia fratribus
per omnes Horas, pulſato pro ultimo
ſigno, Prior, aut Vicarius, aut (ſi
nec Prior, nec Vicarius fuerit præ/
ſens) qui Maior eſt in choro, faciat ſignum manu,
& fratres genuflexi, ſi dies fuerit ferialis, ſin mi
nus, æqualiter, & pronius inclinati dicant Pater no
ſter: quo finito, & ſigno ab eodem facto, Hebdo
madarius incipiat Officium in loco ſuo, uerſo uul
tu ad altare, aliis fratribus ſimili modo ſtantibus,
uſque ad Gloria patri, & tunc uertant ſe è regio/

ne inclinantes pronius uſq; ad Sicut erat. Idem
modus inclinandi ad Gloria patri ubiq; , præter/
quàm in itinere, aut cum ſeparatim extra chorum
Officium fratres dicunt, obſeruetur. Inuitatori/
um, & omnes Verſiculi, & Benedicamus ſemper
legantur, uel cantentur ab ipſis legentibus, uel can
tantibus, uerſis uultibus ad altare, aliis fratribus
ſtantibus è regione conuerſis. Ad preces Primæ,
& Completorii ſtent fratres uerſis uultibus ad al/
tare: ad uerſiculos uerò in reddendis gratiis ſtent
è regione conuerſi, ſicut ad cæteros Verſiculos.
Similiter ad Agimus tibi gratias, ad Benedictus
deus in donis ſuis, ad Retribuere dignare, & ad
omnia alia ſemper ſtent è regione conuerſi, præter
ſacerdotem. Cantor autem, uel alius frater, quan
do incipit antiphonam, uel alium cantum, ſemper
uerſo uultu ad altare, capite detecto ſiue ſolus,
ſiue aſſociatus incipiat, ſtare debet. Similiter Ca
pitula, & Orationes dicantur à Sacerdote uerſo
uultu ad altare: qui ſiue cantet, ſiue legat Oratio/
nem uel in loco ſuo, ut in ferialibus diebus, & fe/
ſtis ſimplicibus: uel in medio chori, ut in duplici/
bus, ſemiduplicibus, & dominicis diebus, ſimili/
ter ſtabit. Acolythus uerò in utriſque Veſperis
ſeruiat ipſi Sacerdoti exhibendo librum Oratio/
nis; atq; etiam in Matutinis exhibendo candelam
accenſam cum eodem libro. Notandum uerò eſt,
quòd omni tempore, quando in choro communi/
ter pſallitur, chori alter contra alterum uerſis

uultibus

uultibus è regione conuertuntur. In Capitulis uerò, & in Orationibus, in quibus nec genua flectuntur, nec inclinatur: & in Miſſa, quando aliquid cõmuniter pſallitur, ſtent fratres uerſis uultibus ad altare; & quando ſunt in Oratione genuflexi, conſurgant, quando ſacerdos dicit Qui tecum uiuit. Et nota quòd in Miſſa, quando ſacerdos dicit Dominus uobiſcum, fratres omnes ſtare debent uerſis uultibus ad altare, donec reſpondeãt Et cum ſpiritu tuo: At cum cantatur Orõ prima, è regione ſtent conuerſi uſq; ad Qui tecum uiuit. Prætereà ad Orõnem tam in Miſſa, quàm in Horis, cum ſacerdos dicit Qui tecum uiuit, conuertant ſe fratres ad altare, & ſic ſtantes reſpondeant Amẽn. Item poſt primam Orationem ſtent ad alias ſequentes uerſis uultibus ad altare: & ſimiliter ad Orationem & quæ poſt Aſperges me, & quæ poſt antiphonam Virginis in Completorio dicitur.

Quando ſedere, et quando erecti ſtare in Eccleſia Canonici noſtri debeant. Cap. III.

QVuandocunque uerò pſalmodia, et Officium dicitur ſine nota in Eccleſia, omnes fratres ſtent erecti, præterquàm in pſalmodia mortuorum, in qua ſiue cantetur, ſiue legatur, ſedeant uſque ad Laudate dominum de cœlis. Similiter in pſalmis gradualibus ſedeant. Prætereà, quando di-

cantur uel unus, uel duo, uel etiam plures pſalmi cum nota ſub una antiphona, uel ſub pluribus, il le chorus ſtare debet, ſub quo antiphona ipſa inco hatur, & alter ſedere ad primum pſalmum: Ad ſecundum uerò pſalmum ſtare debet chorus ille, qui ſederat ad primum, & alter ſedere: & ſic alter/natim ad ſingulos pſalmos, unus chorus ad unum, & alter ad alterum pſalmum ſedeat omni tempore ſucceſsiuè. Verumtamen ad Laudate dominum omnes gentes, & ad Quicunque uult ſaluus eſſe: in officio etiam beatæ Virginis planè dicto ad om nia: item ad Benedictus, ad Magnificat, ad Nunc dimittis, & ad omnes hymnos ſiue legantur, ſiue cantētur, ſimiliter ad Alma redēptoris, et ad Regi na cœli cum ſuis Verſiculis, Reſpōſoriis, et orōni/bus in fine Completorii: item ad eādem antipho nam Regina cœli cum ſuo Verſiculo, Reſpōſorio, et Orōne, quādo terminatur Officium poſt Fideli um aīæ ſtēt Canonici fratres erecti. Pſalmodia, & aliud Officium, cum ſine nota dicitur, ęquabiliter, & uniſonis uocibus, ac diſtinctè dicatur, ita ut fini tis Verſibus ab uno choro, alter chorus incipiat: idemq; in Officio beatæ Mariæ, & mortuorum obſeruetur. Verùm quando cantatur pſalmodia, in pūcto metri non fiat protractio, ſed pauſa, ſeu quies conueniens, & æqualis. Metrum uerò, & finem Verſuum ſimul incohent, & ſimul dimittant fratres: Nullus ante alios incipere, & præcurre/re: aut è contrario poſt alios punctum trahere, uel

tenere

tenere præſumat: ſed & ſimul cantent, & ſimul
pauſent, ſeu quieſcant. Ad lectiones autem in Ma
tutinis, & ad Benedictiones lectionum ſedeant, ex/
cepto cum Euangelii lectio recitatur. Sedeant
etiam ſemper, quando legitur Martyrologium in
Prima, & ad abſolutionem Capituli uſq; ad datam
benedictionem, præterquàm in uigilia Natiuitatis
Domini: quia cum peruentum fuerit ad locum, ubi
dicitur IESVS Chriſtus filius dei uiui, & cæte/
ra uſque ad punctum, fratres conſurgentes proſter
nant ſe, modicum immorando. Quando autem
leguntur Prophetiæ uel una, uel plures, ſeu Epiſto
la, ſedeant uſq; ad Alleluia, ad quod ſtatim con
ſurgant, atq; ad eius Verſum rurſus ſedeant: quo
completo, iterum conſurgant. Quando uerò du
plex Alleluia cantatur, ad ſecundum conſurgant,
ſed ad Verſum ſedeant, præter cantantes: quod
etiam obſeruandum eſt, cum unum tantum Alle/
luia cantatur. Denique ſemper, ſiue ſit feſtum,
ſiue non ſit, poſt Orate fratres omnes ſtent erecti
uerſis uultibus ad altare.

De officio Cantorum in Eccleſia. Cap. IIII.

IN choro igitur ſint duo Cantores,
unus ex una parte, & alter ex altera:
qui diſtribuant ſingulas antiphonas
per ſingulos fratres à Maiore incipi/
entes, unicuiq; diſtribuendo, uterq; ex parte
ſua in Veſperis, & in Matutinis tantùm: in aliis

Digitized by Google

uerò Horis, & in Laudibus à Minore incohetur. Cantor uerò, qui dat antiphonam, intonet pſalmum uſque ad punctum, & ſolus denuò incipiat eandem poſt pſalmum, niſi fuerit officium duplex: & ſucceſsiuè cantetur ab utroq; choro, ita ut nunquàm incipiatur antiphona à duobus ante pſalmum. Quando autem non cantatur Officium, frater, cui contingunt Reſponſoria maiora, intonet antiphonam: & ille alter, cui contingunt Verſiculi, & Reſponſoria breuia, intonet pſalmum uſque ad punctum. Lectiones uel in choro, uel in alio loco, ex quo ab omnibus poſsint audiri, legantur, & ſemper à Minore, ſi commodè fieri poteſt, incipiantur. Reſponſoria nocturna cantent fratres in medio chori, ſimiliter antiphonas, quæ ſemper incipiātur à Maiori ex utraque parte chori in feſtis ſemiduplicibus, & duplicibus, & dominicis diebus: per hebdomadam uerò in ſimplicibus feſtis, & ferialibus diebus, ſi clericis chorus abundat, quotidie diuidantur ex utraque parte, ſiue tria Reſponſoria dicantur, ſiue duo, ut tempore paſchali, incipiendo à fratre ſequenti, ubi præcedenti nocte dimiſſum eſt, uſque ad ultimum ſucceſsiuè, uel prout Cantori uidebitur expedire: & quando Cantor incipit antiphonam aliquam ante pſalmum, collateralis ſocius eius intonet pſalmum uſq; ad punctum. Denique Cantores inſtituantur uel à Priore, uel ab alio, cui ipſe Prior iniunxerit, manſuri quámdiu ſibi uidebitur expedire.

Quæ

Quæ benedictiones ferialibus, quæ'q; feſtis diebus dicendæ ſint: et de Orationum, ac Lectionum, et Capitulorum tono. Cap. V.

CVM autem peruentum fuerit ad lectiones, Lector capite detecto inclinatus uerſus librum recipiat benedictionem à ſacerdote media uoce conferente, aç ſedente, præterquàm ad benedictionem Euangelii, ad quam debent ſtare erecti tam ſacerdos, quàm cæteri, ut ſupra capitulo tertio dictum fuit. Benedictiones uerò tam in ferialibus, quàm in feſtis diebus, ſunt hæ: in primo nocturno prima, Benedictione perpetua benedicat nos pater æternus: ſecunda, Vnigenitus dei filius nos benedicere, et adiuuare dignetur: tertia, Spirituſſancti gratia illuminare dignetur ſenſus, et corda noſtra. In ſecundo nocturno ſunt hæ: prima, Deus pater omnipotens ſit nobis propitius, et clemens: ſecũda, Chriſtus ꝑpetuæ det nobis gaudia uitæ: tertia, Ignem ſui amoris accendat deus in cordibus noſtris. In tertio nocturno ſunt hæ: prima, quando Euangelium legitur, Euangelica lectio ſit nobis ſalus, et protectio: quando uerò Euangelium non legitur, Ille nos benedicat, qui ſine fine uiuit, et regnat: ſecunda, Diuinum auxilium maneat ſemper nobiſcum, quando non erit feſtum, aut feſtum aliquod erit domini noſtri IESV Chriſti: quando uerò erit feſtum, ſi unius, et uiri erit, Cu/

ius feſtum colimus, ipſe intercedat pro nobis ad Dominum: ſi fœminæ, Cuius. f. c. ipſa. i. p. n. a. d: ſi uerò fuerit plurium, et uirorum, Quorum feſtum colimus, ipſi intercedant pro nobis ad Dominum: ſi fœminarum, Quarum f. c. ipſæ i. p. n. a. d: ultima lectio, Ad ſocietatem ciuium ſupernorum perducat nos rex angelorum. Si igitur in tertio nocturno legatur unum Euangelium, dicatur Benedictio Euangelica lectio, et cætera, cum aliis duabus, ut ſupra expoſitum eſt: Si uerò duo dicantur Euangelia, ad ſecundam lectionem Euangelii dicatur Per euangelica dicta deleantur noſtra delicta: ſi uerò tria, tertia erit Verba ſancti Euangelii doceat nos Chriſtus filius dei. Ferialibus uerò diebus, ſecunda, et quinta feria dicantur Benedictiones primi nocturni: Benedictiones ſecundi nocturni, tertia, et ſexta feria: Benedictiones tertii nocturni, quarta feria, et ſabbato. Quando autem tres Lectiones dicuntur tantùm homiliæ, dicantur Benedictiones tertii nocturni: et ſemper, quando pronuntiantur uerba Euangelii, fratres capitibus detectis uertant ſe ad pronuntiantem. Abſolutiones autem, uidelicet Exaudi domine IESV Chriſte, et duæ aliæ, ſcilicet Ipſius pietas, et miſericordia, et A uinculis peccatorum, ſemper ſuis et locis, et diebus dicãtur: et quãdo cantatur, cantẽtur illæ quidem in tono Capitulorum, conuerſo ſacerdote ad altare: Benedictiones uerò in tono Lectionum: Lectiones autem, ſicut in Ordinario

 notato

notato continetur. Verùm Lectiones mortuorum, et Prophetiæ, quando cum nota dicuntur, cantentur et illæ quidem ſimiliter, ut aliæ, ſed terminentur, ſicut Lectiones ſecundi, et tertii nocturni, quæ dicuntur in Cœna Domini, et in Paraſceue, et Sabbato ſancto, quæ in ſeipſis terminantur. In fine uerò Lamentationum ipſorum trium dierum dicatur Hieruſalèm Hieruſalèm conuertere ad Dominum deum tuum: in fine autem aliarum aliorum dierum Lectionum ſemper dicatur Tu autem Domine miſerere nobis. Tonus etiam Capitulorum finiatur, ſicut in prædicto Ordinario notato continetur. Orationes uerò Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, et Completorii terminentur in tono Capitulorum: et tunc ſacerdos, dicto Dominus uobiſcum, dicat Orationes, et Benedicamus: et reſpondeatur in eodem tono Deo gratias ſuſpenſiuè, ſimiliter Amén. In Veſperis autem, et in Matutinis cantentur Orões in tono Orationum Miſſæ. Deniq; oẽs præſcriptos modos require in Ordinario notato.

Quando genua flectere Canonici noſtri debeant. *Cap.* VI.

PORRO' ferialibus diebus in horis canonicis ad Pater noſter in principio, et dum dicitur prima Oratio, ab omnibus genua flectantur uſq; ad Qui tecum uiuit. Idem fiat in primis Oratio/

nibus beatæ Virginis, in commemoratione uocabu
li loci, et beati Auguſtini patris noſtri, ad nomina
eorum tantùm, et ad Pater noſter in fine Hora/
rum. Quando autem dicitur Pater noſter ante Le
ctiones, et in benedictione menſæ, et in agendis
gratiis, non flectant genua, ſed ſemper inclinent
ſe fratres noſtri. In ultimo uerò Pater noſter poſt
Gratiarum actionem, quando fratres ſunt in Eccle/
ſia, genua flectant, ſi ſucceſsiuè duobus, uel pluri
bus diebus fit de feria. Idem faciant, quando di
citur Pater noſter, et Credo tum in Prima, tum
in Completorio, & in Suffragiis, et Precibus. No
tandum uerò eſt in Prima, et in Completorio ad
Pater noſter, et ad Credo in deum pronũtiari duas
illas dictiones tantùm: in Veſperis, et in Matutinis
Pater noſter totum dici clara uoce: in cæteris Ho/
ris non pronuntiari; ſed ſecretò dici Pater noſter.
Sacerdos autem ad omnes Orationes, ſi cantandæ
ſunt, ſurgat ad Dominus uobiſcum, et erectus di
cat illas: ſin minus, illas flexis genibus dicat. In
Miſſa autem ferialibus diebus flectant genua fra/
tres, dum dicitur prima Oratio: ad Orationes ue
rò, quæ præcedunt Prophetias, quando leguntur
uel una, uel plures, non maneant genibus flexis fra
tres, ſed, dicto Flectamus genua, Leuate, ſtent ere
cti, et conuerſi ad altare uſq; ad finem Orationis:
ad illam tamen Orationem, ad quam dicitur Do/
minus uobiſcum, genua flectant fratres uſq; ad
Qui tecum uiuit. Flectant etiam genua in eleuati/

one

one corporis Chriſti, nudatis capitibus humiliter, et deuotè adorantes, et ſecretò illud hymni noctur ni dicentes Tu rex gloriæ Chriſte uſq; ad finem: et dehinc maneant uerſis inter ſe uultibus è regio ne genibus flexis poſt calicis depoſitionem uſq; ad Per omnia ſæcula ſæculorum ante Pater noſter. Dicto uerò Agnus dei, maneant ſimiliter genibus flexis uſq; dum cantanda eſt Poſtcommunio: i/ demq; obſeruetur omnibus diebus ferialibus, et quando in die feſti cantatur Miſſa Vigiliæ, uel Quatuortemporum, uel feriæ, ut in Quadrage/ ſima. Idem fiat, quando intra hebdomadam Miſ ſa Dominicæ cantatur, exceptis miniſtris altaris, qui ad eleuationem corporis, & ſanguinis Chriſti tantùm genua flectant, & deinde conſurgant, & ſtent erecti, & circa ſeruitia altaris intenti. Nun/ quàm uerò diebus feſtis Canonici flectant genua, niſi ab eleuatione corporis Chriſti, uſq; ad Per om nia ſecula ſeculorum ante Pater noſter. Flectant tamen genua ſemper, quando cantatur Miſſa bea tæ Virginis, ad Salue ſancta parens, præterquàm in die, & per Octauam Natiuitatis, & in aliis ſo/ lennitatibus, & per alias Octauas ipſius Virginis, in quibus cãtatur ad Miſſam Salue ſancta parens. In Miſſa etiam Spirituſſancti, cum dicitur uerſus ipſius Alleluia Veni Sancteſpiritus, genua fle/ ctant ad tres illas dictiones tantúm: exceptis mini ſtris altaris, qui cum ſeſſum iuerint, non flectant genua, ſed ſolum ſurgentes parum ſe inclinent.

Genua flectant etiam in Quadrageſima in Tractu ad Verſum illum, Adiuua nos deus ſalutaris noſter, ad treis primas dictiones: et ad Homo factus eſt in Credo: & in Euāgelio. s. Ioannis ad Et uerbum caro factum eſt: & in Euangelio. s. Matthæi in Epiphania ad Et procidentes adorauerunt eum: et ad Salue regina miſericordiæ: & ad Aue regina cœlorum ad tres illas dictiones tantùm utriuſq; antiphonæ in fine Completorii: ſimiliter ad eandem antiphonam Salue regina cum ſuo Verſiculo, Reſponſorio, & Oratione, quando terminatur Officium poſt Fidelium animæ: item ferialibus diebus in hymno Crucis ad Verſum illum O' Crux aue ſpes unica, ad eas dictiones tantúm. In Cœna uerò Domini in principio Matutini fratres non flectāt genua, ſed inclinent ſe ad ſignum Præſidentis. Idem faciant in principio aliarum Horarum, niſi fortè duæ, uel plures Horæ deinceps ſine interuallo dicerentur: quia tunc ſufficit ſemel dicere in fine Pater noſter, ut infra dicet: quod dici tamen debet genibus flexis. Sed in Paraſceue, & in Sabbatoſancto uſque ad dictam Nonam tam in principio, quàm in fine Horarum dicendo Pater noſter genua flectant: & illis ipſis tribus diebus in reddendis gratiis flectāt genua ad ultimum Pater noſter tantum, niſi in Sabbatoſancto. Præterea in Dominica Palmarum, cum legitur Paſsio ſecundum Matthæum, quando Diaconus peruenerit ad locum, ubi dicitur Emiſit ſpiritum, ipſe

Diaconus

Diaconus, & omnes fratres proſternant ſe, modicùm immorando. Feria etiam tertia in Paſsione ſecundum Marcum, cum uenerit ad locum, ubi dicitur Expirauit, faciant illud idem: & feria quarta, cum dicitur Hæc dicens expirauit in Paſsione ſecundum Lucam: & in Paraſceue in Paſsione ſecundum Ioannem, ubi dicitur Et inclinato capite tradidit ſpiritum.

Quando, et quomodo inclinare ſe Canonici noſtri debeant. Cap. VII.

VBICVNQVE autem ferialibus diebus genua flectuntur, feſtis inclinent ſe fratres, præterquàm in precibus Primæ, & Completorii, in quibus ſtét erecti: item ad Veſperas, et ad Matutinum in commemoratione Apoſtolorum: quia ſolùm in Oratione ad nomina eorum inclinatur; et in commemoratione Pacis, ubi non inclinatur. In duabus etiam Orationibus, quæ dicuntur in Officio mortuorum poſt primam Orationem tam in Veſperis, quàm in Laudibus in die Feſti, feria ſubſequente, ſcilicet Deus ueniæ largitor, & Fidelium deus, ſtent erecti conuerſi ad altare. Ad nomina etiam Sanctorum pro tempore occurrentium, quorum poſt primam Orationem in Veſperis, uel etiam in Matutinis, & in Miſſa per Octauas fit commemoratio, inclinent ſe fratres è regione: ad

aliorum uerò ſanctorum ſequentium nomina, ſi/
cut uocabuli loci, beati patris Auguſtini, & ſimi
lium, inclinent ſe conuerſi ad altare. Semper eti
am fratres inclinent ſe è regione, quandocunq;
dicitur Pater noſter, & Credo in deum, & Glo/
ria patri, & ad ultimum uerſum omnium hymno
rum: in hymno quoq; Te deum laudamus ad
Quos pretioſo ſanguine redemiſti: & ad penul/
timum Verſum cantici Benedicite, cum dicitur
Benedicamus patrem, & filium, cum ſanctoſpiri/
tu: & in Completorio, cum dicitur illud idem: &
ad Sit nomen Domini benedictum, tam in pſal/
mo Laudate pueri Dominum, quàm in reddendis
gratiis; & in principio hymni Veni creator ſpiri/
tus, ad eas tres dictiones, præterquàm cum in Ca
pitulo generali tum ad electionem Prioris genera
lis, ac Viſitatorum, tum ad alia dicitur, uel quan
do ueſtitur aliquis nouitius: quia tunc genua fle/
ctũtur: ſimiliter in principio hymnorum Aue maris
ſtella, & O` glorioſa domina: & ad Inuitatorium
beatæ Virginis Aue Maria prima uice tantúm:
& ad Magne pater Auguſtine. In Miſſa ſimili/
ter uertant ſe è regione inclinantes ad Salue ſan/
cta parens in diebus feſtis beatæ Virginis, & per
Octauas eius: item in hymno angelico ad Suſcipe
deprecationem noſtram, & ad primam Orationem
ante Epiſtolam, & ad primam poſt communionem,
& ad Gratias agamus Domino deo noſtro, & ad
benedictionem ſacerdotis in fine Miſſæ. Inclinent
etiam

etiam ſe ad Orationem benedictionis ante refectionem: & poſt refectionem ſimiliter è regione ad Agimus tibi gratias, & ad Benedictus deus in donis ſuis, & ad Retribuere dignare. Inclinent ſe quoq;, ſed conuerſi ad altare, ad Gloria in excelſis deo, ad eas treis dictiones: & ad Adoramus te: & ad Gratias agimus tibi: item ad Gloria tibi Domine ante Euangelium: & quotieſcunq; nomen IESV nominatur in Miſſa, uel in principio hymnorum: & ad hymnum O' lux beata Trinitas, ad eas dictiones tantúm. Deniq; extra Monaſteria, & loca noſtra in huiuſmodi inclinationibus, conformemus nos moribus eorum, ad quos aliquando declinamus.

Quando capita detecta habere Canonici noſtri debeant.

Cap. VIII.

CANONICI uerò ſint capite detecto in introitu, & in exitu ante altare, & in primis Orationibus tam Horarum, quàm Miſſarum, & in Euangelio homiliæ, & dum dicitur Euangelium in Miſſa, & in principio hymni angelici Gloria in excelſis deo, & quando dicitur Gratias agamus Domino deo noſtro, & in Credo ad Homo factus eſt, & in eleuatione corporis Chriſti uſq; ad depoſitionem calicis, & quando fratres communicant, & in benedictione ſacerdotis poſt Miſſam, poſt Pri-

mam, & poſt Completorium: ſimiliter ad Confeſ/
ſionem in Prima, & in Completorio: & qui can/
tant uerſus Reſponſoriorum nocturnorum, & Re/
ſponſoria breuia, & Verſiculos, & Alleluia cum ſu
is uerſibus: & cum Canonici cantant, ſeu legunt a/
liquid uel ſinguli, uel cum ſocio in Eccleſia, præ/
ter Regulam, ſeu Ordinarium: & qui ſeruiũt Miſ
ſis conuentualibus, ſeu priuatis: & ad Salue ſancta
parens, & ad Veni ſancte Spiritus, & ad O' crux
aue ſpes unica, & ad Salue regina, & ad Aue Re
gina, & ad Adiuua nos deus ſalutaris noſter, in Tra
ctu quadrageſimali, & in Te deum laudamus, ad
Quos pretioſo ſanguine redemiſti: & ad primas
tres dictiones horum trium hymnorum Veni crea/
tor ſpiritus, Aue maris ſtella, in ſolennitatibus Do
minæ, ac intra octauas eius: & Magne pater Au/
guſtine.


Quomodo, et à quibus Inuitatoria, Verſiculi, Reſpon/ ſoria breuia, et Benedicamus dicenda ſint. Cap. IX.

FERIALIBVS quoq; diebus per
totum annum, etiam ab octaua Reſur
rectionis uſq; ad Aſcenſionem, & in fe
ſtis ſimplicibus Inuitatorium cum pſal
mo Venite, Verſiculi, Reſponſoria breuia, & Bene
dicamus ab uno Canonico tantùm dicantur in loco
ſuo: dominicis uerò diebus, & feſtis ſemiduplici/
bus Inuitatorium cum pſalmo dicatur à duobus,
& ante pulpitum: Verſiculi autem, & Reſponſoria

breuia, et Benedicamus dicantur ante inferiorem gradum altaris: quibus etiam diebus hæc fiant, Veſperi, & Matutinum ſimiliter incipiantur à ſacerdote ante gradum altaris: pulpitum, in quo Oratio dicenda eſt, in utriſq; Veſperis, & Matutinis ſit tobalea coopertum: tertium, ſextum, & ultimum Reſponſorium cantentur à duobus, quando cantanda ſunt.

Quæ ſint feſta minora ſimplicia: et de eorum Miſſa. Cap. X.

OMNIA quidem feſta ſimplicia, quibus non aſsignatur aliquid proprii in Graduali notato, dicuntur minora ſimplicia: in quibus cantetur Kyrie, Gloria in excelſis, Sanctus, Agnus dei, & Ite Miſſa eſt ſic.



Quæ ſint feſta maiora ſimplicia: et de eorum Miſſa. Cap. XI.

FESTA autem ſimplicia, quæ ha/bent in Graduali aliquid proprii, ſiue quibus aliquid è communi aſsignatur, dummodo de illis in Graduali fiat a/liqua mentio: uel de quibus in Calendario ſcrip/tum eſt Fiat eodem die, etiam ſi iis ipſis nihil nec proprii, nec communis aſsignetur, dicuntur maio/ra ſimplicia: in quibus cantetur Kyrie, & cætera, ut ante, ſic.



Quæ ſint feſta minora ſemiduplicia: et de eorum Miſſa. Cap. XII.

PORRO hæc ſunt feſta minora ſe/miduplicia. Omnes dies dominici, cum ipſius Dominicæ celebratur Of/ficium, de quibus tamen poſteà ſuo


loco

loco dicemus : uigilia Natiuitatis Domini : omnes
dies à feſto Innocentium uſq; ad uigiliam Circun/
ciſionis Domini incluſiué : uigilia , & intra octa/
uam Epiphaniæ : feſtum . s . Antonii abbatis . ss . Fa
biani , & Sebaſtiani . s . Agnetis primó . s . Blaſii e/
piſcopi martyris . s . Agathæ uirginis martyris . s .
Benedicti abbatis : intra octauas Reſurrectionis ,
Pentecoſtes , & Corporiſchriſti : feſtum . s . Geor/
gii martyris . s . Vbaldi epiſcopi . ss . Ioannis , &
Pauli martyrum : octaua . s . Ioannis Baptiſtæ : in
tra octauas Viſitationis , Aſſumptionis , & Nati/
uitatis beatæ Virginis : intra octauas . s . Auguſtini
epiſcopi doctoris , & Omniumſanctorum : feſtum
. s . Cæciliæ uirginis martyris . s . Clementis papæ
martyris . s . Catharinæ uirginis martyris . s . Nico
lai epiſcopi , & . s . Luciæ uirginis martyris : in qui/
bus Gloria in excelſis cantetur , ut infra in domini
cis diebus , Kyrie autem , & cætera , ut ante , ſic .




Quæ ſint feſta maiora ſemiduplicia: et de eorum Miſſa. Cap. XIII.


FESTA uerò ſemiduplicia maiora ſunt hæc. Feſtum. ss. Innocentium: octauæ. s. Stephani protomartyris. s. Ioannis apoſtoli euangeliſtæ, & Epiphaniæ: Anniuerſarium patrum, & matrum fratrum noſtrorum: Apparitio Michaelis archangeli: feſtum. s. Mariæ Magdalenæ: octauæ Transfigurationis Domini, &. s. Laurentii: Decolatio. s. Ioannis Baptiſtæ: Commemoratio fratrum, propinquorum, & benefactorum Ordinis noſtri defunctorum: feſtum. s. Martini epiſcopi: deniq; quandocunq; in Sabbato cantatur Miſſa beatæ Virginis cum ſuo Kyrie, ut infra dicetur: in quibus Kyrie, & cætera, ut ante, cantentur ſic.




Quomodo, & quale Officium fieri dominicis diebus oporteat: et de eorum Miſsa. Cap. XIIII.

PRÆTEREA ſemper dominicis diebus fiat Officium ſemiduplex minus, niſi à feſtis aliquibus ſemiduplicibus maioribus, aut à minoribus, maioribusq; duplicibus impediatur: à quibus tamen feſtis nec Dominica ulla impeditur, nec eius ſemiduplex Officium ullatenus mutatur, ſi fortè in illa eſt aliqua hiſtoria propria ponenda, quæ transferri in aliam Dominicam non poſsit. His autem diebus tempore quidem Aduẽtus cantentur Sanctus, & Agnus dei, ut ſupra in maioribus ſemiduplicibus: Kyrie autem, Credo, & Benedicamus ſic.





A' dominica uerò Septuageſimæ incluſiuè uſq; ad dominicam Palmarum etiam incluſiuè Credo, Sanctus, Agnus dei, & Benedicamus eodem modo, ut ſupra, cantentur: Kyrie autem ſic.



Cæterùm reliquo anni tempore Kyrie, & cætera, ut ante, in Miſſa cantentur ſic.



Quæ ſint feſta minora duplicia: et de eorum Miſſa. *Cap. XV.*

IAM uerò hæc ſunt feſta minora duplicia. Feſtum. s. Stephani protomartyris: Conuerſio. s. Pauli apoſtoli: Cathedra. s. Petri apoſtoli; utraque Translatio corporis. s. Auguſtini epiſcopi: feſtum. s. Ioſeph ſponſi beatæ Virginis; Miſſa quoque in Cœna Domini, & in Sabbato ſancto: ac totum ſimul Officium à quinta feria maioris hebdomadæ incluſiuè uſq; ad Reſurrectionem Domini

excluſiuè

excluſiuè, ad modum minorum duplicium celebretur. Rursùm primus, & ſecundus dies poſt Reſurrectionem: ſimiliter primus, & ſecundus dies poſt Pentecoſten: octaua Corporischriſti: Trãſlatio. s. Monicæ: Inuentio. s. Crucis: feſtum. s. Monicæ: Conuerſio. s. Auguſtini epiſcopi: feſtum. s. Ioannis ante portam latinam, &. s. Barnabæ apoſtoli: Commemoratio. s. Pauli apoſtoli: octaua. ss. Petri, & Pauli apoſtolorum: octaua Viſitationis, Aſſumptionis, & Natiuitatis beatæ Virginis: feſtum. s. Annæ matris beatæ genitricis dei. s. Petri ad uincula. s. Mariæ ad niues, &. s. Laurentii leuitæ martyris: octaua. s. Auguſtini epiſcopi: Exaltatio. s. Crucis: Dedicatio Michaelis archãgeli: feſtum. s. Frãciſci ſecundum cõſtitutionem Bonifatii quarti papæ: quam licet non communiter ſequatur Eccleſia, à nobis tamen ubiq; celebrari hoc modo feſtum hoc uolumus: Commemoratio Omniumdefunctorum fidelium: octaua Omniumſanctorum: Dedicatio baſilicæ domini Saluatoris: Dedicatio baſilicarum. ss. Petri, & Pauli apoſtolorum in Vrbe: Præſentatio beatæ Virginis. Item omnia feſta Apoſtolorum, Euangeliſtarum, & quatuor Doctorum ſunt minora duplicia, præter feſtum. ss. Petri, & Pauli apoſtolorum, &. s. Auguſtini epiſcopi doctoris: quæ inter maiora duplicia (ut infra dicetur) computantur. Similiter quoties aliquem fratrum noſtrorum è uita migrare contigerit, in Conuentu, ubi is obierit, exequiæ, & Miſſa cum ſe-

quentia ad modum minorum duplicium pro eo ce lebrandæ ſunt. Deniqꝫ omnia feſta eorum Sancto rum, ſub quorum nomine habetur ſacellum, ſeu capella, aut altare in noſtris Eccleſiis ad eorum ho norem conſecratum, ſunt minora duplicia: in qui/ bus ad Miſſam kyrie, Credo, & cætera, ut ante, cantentur ſic.





Quæ ſint feſta maiora duplicia: et de eorum Miſſa. Cap. XVI.

DENIQVE feſta maiora duplicia ſunt hæc. Natiuitas Domini, & Circunci/ ſio: Epiphania: Purificatio beatæ Vir ginis, ſiue Hypante Domini: Annūtia tio, Viſitatio, Aſſumptio, Natiuitas, & Conceptio

eiuſdem


eiuſdem Virginis: Reſurrectio, Aſcenſio Domini, & Pentecoſte: Dominica ſanctiſsimæ Trinitatis, quod feſtum per totum Ordinem noſtrum celebrari uolumus prima Dominica poſt Pentecoſten: feſtum Corporiſchriſti, & domini Saluatoris de mẽſe Maio, qui titulus eſt Congregationis noſtræ: Natiuitas. s. Ioannis Baptiſtæ præcurſoris Domini: feſtum. ss. Petri, & Pauli apoſtolorum: Trãsfiguratio domini Saluatoris: feſtum. s. Auguſtini patris noſtri, & Omniumſanctorum: Deniq; feſta Sãctorum eorum, quorum uocabulo nuncupatæ ſunt Eccleſiæ Ordinis noſtri, & Conſecrationes earum, in loco proprio maiora duplicia ſunt: in quibus in Miſſa kyrie, Credo, & cætera, ut ante, cantentur ſic.






De feſtis, ac diebus quibusdam exceptis, quibus in Miſsa Kyrie, et cætera propria cantāda aſsignātur. Ca. xvii.


EX iis tamen omnibus, quæ ſeptem ſuperioribus capitulis ordinata ſunt, excipiuntur dies paſchales, uidelicet dies dominici, & omnia feſta ſemiduplicia, & minora, ac maiora duplicia à Sabbatoſancto incluſiuè uſq; ad ſabbatum poſt Pentecoſten etiam incluſiué; item omnia feſta beatæ Virginis, & quandocunq; aliàs Miſſa eiuſdem, & feriæ, & pro defunctis celebratur. Tunc enim kyrie, & cætera, ut ante, in Miſſa ſingulis propria aſsignantur, ut infra. Tempore itaq; paſchali cantetur Sanctus, & Agnus dei, ut ſupra in maioribus ſemiduplicibus: cætera uerò ſic.





Sabbatoſancto,


Sabbatoſancto, & tribus ſequentibus Paſchæ die-
bus Ite Miſſa eſt cantetur ſic.




Cæteris autem Octauæ diebus uſq; ad ſabbatum incluſiuè cantetur ſic.




In Miſſa beatæ Virginis kyrie, & cætera, ut ante, cantentur ſic.




In Miſſa feriæ, & uigiliæ ſic.





In Miſſa pro defunctis Sanctus, ut ſupra in feria: cætera uerò ſic.



Quomodo in feſtis minoribus duplicibus Officium per agendum ſit in Veſperis, et in Matutinis. Cap. XVIII.

In minoribus uerò duplicibus in utriſq; Veſperis, & in Matutino Cantores cotis induãtur, & non pluuialibus: atq; à principio altare non thurificetur in neutris Veſperis, nec in Matutinis, nec in Miſſa: ſed ſimpliciter Prior, uel Hebdomadarius ſine cota, & ſine pluuiali Officium ante altare ſub inferiore gradu incipiat, rediens poſt Gloria patri ad lo/

cum ſuum : ſed circa finem ante Capitulum, ſi Priori uidebitur, ipſe, uel alius cum cota ſuper Amicto, & cum Pluuiali, ac Thuribularius, & duo Acolythi camiſeis, uel cotis induti uadant ad altare, & thurificetur altare maius tantùm à Priore, uel ab illo alio Hebdomadario, chorus uerò à Thuribulario. Cætera omnia tam Veſperorum, quàm Matutinorum fiant, ſicut in maioribus duplicibus. Acolythi autem, & Thuribularius lotis manibus induti camiſeis, aut cotis, ſi haberi camiſei non poſſunt, præueniant Sacerdotem in ſacrario ad induendum, & exuendum eum, ac poſtremò deponant cotas. Hunc modum in utriſq; Veſperis, & in Matutinis, & in Miſſa obſeruent.

Quomodo in feſtis maioribus duplicibus Officium peragendum ſit in Veſperis, et in Matutinis. Cap. XIX.

IN feſtis autem maioribus duplicibus ſtatim poſt ſecundam pulſationem in utriſq; Veſperis, & in Matutinis Prior indutus camiſeo ſuper Amicto, & Pluuiali cum duobus, uel quatuor Cantoribus indutis Pluuialibus, ubi commodè haberi poſſunt, & duobus Acolythis, & Thuribulario, qui camiſeis, uel cotis induantur, in fine tertiæ pulſationis hoc ordine è ſacrario procedentes Eccleſiam ingrediantur. Primò præcedant ſimul iuncti Ceroferarii candelabra ſuperimpoſitis cereis accenſis geſtantes, deinde

thuribularius dextra manu tenens thuribulum, & ſiniſtra nauiculam cum incenſo; poſteà Cantores gradientes bini; ultimo loco Prior ad altare procedat; & ſtans in medio Cantorum in ſupremo altaris gradu genua flectat: deinde Cantorum alter acceptum thus tradat illi benedicendum, & infundendum in thuribulum: alter acceptum thuribulum de manu Thuribularii, poſtquàm fuerit thus impoſitum, tradat ſimiliter Priori oſculando eius manum; & tunc Prior, Cantoribus pluuiale ipſius ex utraque parte eleuatum tenentibus, adoleat altare maius, & oſculetur illud: deinde deſcendens ad locum corporis Chriſti, facta reuerentia, adoleat illud: tum reddito thuribulo uni Cantorum, ipſe tranſiens ad ultimum gradum altaris ab eodem Cantore thurificetur. Sin autem Cantores non poterunt commodè miniſtrare, faciat hæc Thuribularius: ac in eodem loco, dicto Pater noſter, Officium more ſolito incohetur ab ipſo Priore; &, finito Gloria patri uſq; ad Sicut erat, uel (ſi oportuerit) antè ad chorum omnes accedant: ibiq; Cantor, qui eſt in latere, ubi eſt chorus, tradat primam antiphonam Priori ſtanti in loco ſuo. Acolythi uerò ſtẽt cum cereis ante pulpitum, donec cantata fuerit prima Antiphona; & intonato pſalmo uſq; ad punctum, deferant cereos ante altare ad locum præparatum non extinguentes eos; deinde reuerſi ad chorum reſideãt in ultimis chori locis, & Thuribularius iuxta unum illorum. At Prior, & Cantores poterunt deponere

pluuialia,

pluuialia, ſi eis uidebitur, quæ poſteà reſumant, an
tequàm dicatur Capitulum. Cantores uerò omnia,
quæ ad ſuum officium ſpectant, per omnes Horas
feſti duplicis ſimul incipiant, diſtribuentes per ſin
gulos Canonicos ātiphonas, & cætera omnia, ut in
ſuperioribus capitulis cōtinetur. Quandocunq; au
tem Te deum laudamus dicitur in feſtis ſimplici/
bus, ſemiduplicibus, & dominicis diebus, ſemper
ab uno Cantore incipiatur in loco ſuo: in feſtis ue/
rò minoribus, & maioribus duplicibus à duobus ſal
tem Cantoribus ante altare incipiatur, & Verſus ip/
ſius Per ſingulos dies ſimiliter: quod idem de om
nibus hymnis Veſperorum, & Matutinorum dici/
mus obſeruandum. Laudes quidem in ſuo loco in/
cipiat Sacerdos ſemper: ſed Benedicamus domino
in utriſq; Veſperis, & in Matutinis cum Inuitato
rio ante altare dicatur ab ipſis Cantoribus, à qui/
bus etiam tertium, ſextum, & ultimum Reſponſo
rium ante pulpitum cantentur: Reliqua uerò Reſ/
pōſoria à duobus ex Canonicis incipiantur, cæteris
poſteà adiuuātibus uſq; ad Verſum: Verſus autem
ab iis ipſis, qui Reſponſoria inceperunt, cantētur.
Verſiculi tamen, & Reſponſoria breuia ante alta/
re à duobus etiam, uidelicet ab uno ex utraque
parte chori dicantur, præter Verſiculum dicēdum
in ſecundis Veſperis in commemoratione Sancto/
rum occurrentium ſequenti die: qui Verſiculus ab
uno Canonico ſolo ad hoc ordinato dicatur in loco
ſuo, uel à Cātore tantùm, qui eſt ex latere Hebdo

Digitized by Google

madarii, ſi feſtum, de quo fit cómemoratio, erit ſim plex: quod ſi duplex erit, à duobus dicatur ante pulpitum: & quando à duobus, uel ab uno etiam ſiue ante altare, ſiue in loco ſuo Reſponſoria bre/uia, & Verſiculi dicuntur tam Horarum, quàm Col lectarum, à Canonicis iunioribus, quibus pro tépo/re contingunt, uel ab ipſis Cantoribus dicantur. At uerò Prior, Cãtores, & miniſtri ad Laudate Domi/num de cœlis debent recipere ueſtimenta, quæ de/poſuerant in principio Matutini: & cum peruẽtum fuerit ad Capitulum, Prior ſtans in ſede ſua, aſtãti bus ante ipſum Thuribulario, & Ceroferariis hinc, atq; hinc cum cereis accenſis, cantet, uel legat Ca pitulum: quo dicto, Ceroferarii accedentes ad pul pitum ſtent hinc inde, donec incipiatur canticum Benedictus. Thuribularius uerò interim paret thuri bulum cum igne, & incepto Cantico ab ipſis Can/toribus, uel ab organo, procedatur ad thurificatio/nem altaris eo ordine, quo in principio proceſſum eſt. Completa uerò thurificatione, & ibidem thurifi cato Priore, reuertantur ipſe Prior, & Cantores ad locum ſuum, Ceroferariiq; ſtent, ubi prius ſteterãt poſt Capitulum. Thuribularius autem primò ado/leat Cãtores, poſteà Ceroferarios, poſtremò Cano nicos ex utroq; latere chori, inchoando ſemper à la tere Maioris: & ſi duplex Chorus, ideſt ſuperior, & inferior erit, primò ſuperiorem ex utroque latere, deinde inferiorem eodem modo adoleat (hic eſt enim Romanæ Eccleſiæ adolendi ritus, quam nos

ſicut

ſicut in cæteris, ita in hoc ſequi debemus) & ſemel tantùm ununquenq; Canonicorum adoleat: quo facto, repoſitoq; thuribulo in loco ſuo, paret pulpitum cum libro Orationis ante inferiorem gradum altaris. Dicta uerò antiphona poſt canticum Benedictus, uadat Prælatus ad locum, ubi Oratio dicenda eſt, præcedentibus Ceroferariis, & Cantoribus: accedensq; ad pulpitum, ſtantibus Ceroferariis hinc, atq; hinc ante ipſum, Cantoribus autem poſt ſimul iunctis, dicat Orationem, uel (ſi plures erunt dicendæ) Orationes: cui Prælato Thuribularius, ſi opus erit, miniſtret candelam: ſin minus, ſtet poſt Cantores ex directo poſt illum: dicta autem Oratione, reuertantur omnes ad Sacrarium ordine prædicto: uel (ſi Prælato uidebitur) ipſe, & Cantores reuertantur ad locum ſuum, Ceroferariis ibidem remanentibus, donec totum Officium compleatur: quo completo, dictoq; Fidelium animæ, & Pater noſter, cum antiphona Salue regina, & Verſiculo Aue Maria, & Reſponſorio Benedicta tu, & Oratione Interueniat pro nobis, ad Sacrarium omnes reuertantur. Hic etiam ordo obſeruetur in Veſperis reſumendo ueſtes ante Capitulum.

Quomodo incenſari altare oporteat. Cap. XX.

ALTARE uerò quandocunq; incenſatur in Veſperis, & in Matutinis, Prælatus, uel Sacerdos alius, qui facit Officium, in ſummo gradu (ut proximè præce/

denti capitulo expoſitum eſt) genua flectat ante al/
tare: deinde ſurgens ad medium altaris incipiat in/
cenſare, extenſa manu uerſus corpus Chriſti, ſi ibi
erit, ſin minus, uerſus Crucem, ac ter adoleat: tum
uertens ſe ad dextrum cornu altaris, etiam ter incen
ſet: hinc tranſiens ad ſiniſtrum ſimiliter faciat: &
ducta manu conuenienter ante altare à ſiniſtra in dex
tram, reuertatur ad medium altaris non incenſando,
atq; ibi oſculato altari, proſequatur Officium, ut
etiam eodem capitulo dictum eſt. In Miſſa uerò con
uentuali in ſemiduplicibus feſtis, & dominicis die/
bus, & in feſtis minoribus, & maioribus duplicibus,
etiam in Sabbato, quando cantatur Miſſa beatæ
Virginis, incenſetur altare ſemper poſt calicis obla
tionem hoc modo. Sacerdos accepto thuribulo ter
faciat ſignum crucis ſuper oblatam hoſtiam, & cali
cem dicendo ſecretò Incenſum iſtud, & cætera, ut
in Miſſali continetur: poſtmodùm circundet ter ca
licem dicendo Dirigatur Domine, & cætera: deinde
extendat manum ad Crucem dicendo Eleuatio ma
nuum, & cætera, incenſando eam ſimili modo ter:
poſteà ad dextrum cornu altaris ter per totam illam
altaris partem thuribulum ducat dicendo Pone Do
mine, & cætera: dehinc tranſiens ad ſiniſtrum ſimili
ter faciat proſequendo Vt non declinet, & cætera:
ac rurſùm, deducta conuenienter manu incenſando
altare, à ſiniſtro cornu ad dextrum tranſeat dicendo
Gloria patri: tranſeundo tamen corpus Chriſti, uel
Crucem in medio altaris poſitam, illi reuerentiam

exhibeat:

exhibeat: nec deinceps reuertatur ad medium altaris cum thuribulo, ſed ibi tradat illud Diacono, ſi ſeruit, uel (ſi is non ſeruit) miniſtro. Deniq; hic modus ſimiliter ſeruetur in feſtis maioribus in principio Miſſæ, excepto quòd ſacerdos nihil dicet, nec thurificabit calicem.

De *luminaribus in* Miſsis, *&* in *choro habendis.*

Cap. XXI.

DIEBVS autem ferialibus, & in feſtis ſimplicibus ſemper in conuentuali Miſſa habeantur duo luminaria: in Miſſis uerò priuatis ſaltem unum. Similiter in Veſperis, & in Matutinis beatæ Virginis: item in antiphona, & in tribus illis pſalmis cum lectionibus, qui dicuntur poſt Completorium, ante maius altare unum ſemper luminare habeatur: in feſtis uerò ſemiduplicibus, & dominicis diebus duo in Miſſa ſuper altari: at in Veſperis, & in Matutinis tam diei, quàm beatæ Virginis unum tantùm: in feſtis minoribus duplicibus quatuor in Miſſa ſuper altari, in Veſperis, & in Matutinis duo tantúm: in maioribus duplicibus tam in Miſſa, quàm in Veſperis, & in Matutinis quatuor ſaltem ſuper altari luminaria habeantur. Item alii duo cerei habeantur ſuper candelabris decentibus, quæ portanda ſunt à Ceroferariis, ut ſupra cap. xix. dictum eſt. Et, ſi

commodè fieri poteſt, hi etiam duo cerei in Miſſa præparandi ſunt, quotieſcunq; celebratur Miſſa, ſeruientibus Diacono, & Subdiacono, niſi cum pro defunctis, uel Feriæ, uel Vigiliæ Miſſa celebratur. Lampas uerò ſemper ardeat uel ante altare, uel alibi in Eccleſia, ſcilicet ante corpus Chriſti, ubicunq; id fuerit aſſeruatum. In Cœna autem Domini, & in Paraſceuè, & Sabbatoſancto præparentur quindecim candelæ ante altare maius, & omnes ante inchoationem Matutini accendantur, quarum ſingulæ ad inceptionem ſingulorum pſalmorum modò hinc, modò inde deinceps à Sacriſta extinguantur. De cereo benedicendo in Sabbatoſancto, fiat ſicut in Miſſali continetur: qui cereus in Matutinis, in Veſperis, & in Miſſis Reſurrectionis primis tribus diebus accendatur: accendatur etiam in feſtis maioribus, & minoribus duplicibus, item ſemiduplicibus, & dominicis diebus in Miſſa conuentuali tantùm uſq; ad Aſcenſionem. Neq; tamen propter hoc omitti luminaria oportet ſuperius aſſignata, quin (ut dictum eſt) accendantur.

Quibus diebus Officium diuinum in choro facere Prælatus debeat. Cap. XXII.

VERVM in feſtis maioribus duplicibus in omnibus Horis, & in Miſſa conuentuali per Prælatum Officium diuinum peragatur: in minoribus etiam

duplicibus,

duplicibus, & dominicis, ac ſemiduplicibus diebus antiphona ad Magnificat, & ad Benedictus incipiatur. Dominica quoq; palmarum, & in Cœna Domini, & Sabbato ſancto Prior Officium faciat Miſſæ. Aliis autem diebus antiphonæ ſupradictæ, & antiphona ad Nũc dimittis ab Hebdomadario incipiantur. Hebdomadarius autem, qui Miſſam conuentualem celebrat, in proximè ſequenti hebdomada duobus diebus celebret pro benefactoribus tam uiuis, quàm defunctis, alteram Miſſam dicẽdo pro mortuis, alteram pro peccatis: aliis uerò diebus celebret, pro ut ipſe uult.

Quando Fidelium animæ dicendum ſit: & de antiphonis in fine Officij dicendis. Cap. XXIII.

IN FINE uerò omnium Horarum dicatur Fidelium animæ, cum oratione dominica Pater noſter: niſi cum continuò ſequitur Miſſa cõuentualis. Si autem plures Horæ ſine interuallo dicuntur, tũc inter duas Horas dicatur Fidelium animæ cum Pater noſter ſemel tantùm. Finito uerò utroq; Completorio, ſtatim poſt Benedicamus detur benedictio à Præſidẽte, & poſteà cantetur antiphona pro tempore: qua cantata, dicatur uigilia Dominæ, ſcilicet antiphona Benedicta tu, cum pſalmis, benedictionibus, & lectionibus, ut in proximè ſequenti capitulo continetur. Quando autem terminatur Of

ficium poſt Fidelium animæ, & poſt Pater noſter, toto anni tẽpore dicãtur antiphonæ cum ſuis Verſiculis, Reſponſoriis, & Orationibus hoc modo, uidelicet à Sabbatoſancto uſq; ad uigiliam Aſcẽſionis, ſtãtibus ad omnia (ut ante Capitulo tertio notatum eſt) Canonicis erectis, dicatur.

Ant. Regina Cœli lætare, alleluia.

Quia quem meruiſti portare, alleluia.

Reſurrexit, ſicut dixit, alleluia.

Ora pro nobis deum, alleluia.

Ver. Gaude, & lætare uirgo Maria, alleluia.

Reſ. Quia reſurrexit Dominus, alleluia.

Orõ. Gratiam tuam quæſumus Domine mentibus noſtris infunde, ut qui angelo nuntiante Chriſti filii tui incarnationem cognouimus, per paſsionem eius, & crucem ad reſurrectionis gloriam perducamur, Per eundem Chriſtum dominum noſtrum. Reſ. Amén.

Reliquis autem anni temporibus ſemper, & flexis quidem genibus, ut ante etiam cap. vi. expoſitum fuit, dicatur.

Ant. Salue regina miſericordiæ: uita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalue. Ad te clamamus exules filii Euæ. Ad te ſuſpiramus gemẽtes, & flẽtes in hac lachrymarum ualle. Eia ergo aduocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte: & IESVM benedictum fructum uentris tui nobis poſt hoc exilium oſtende, O' clemens, O' pia, O' dulcis uirgo Maria.

Ver.

Ver. Aue Maria gratia plena, Dominus tecum.
Reſ. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus uentris tui.
Orō. Interueniat pro nobis quæſimus domine IESV Chriſte nunc, & in hora mortis noſtræ apud piiſsimam clementiam tuam glorioſa uirgo Maria dulciſsima mater tua, cuius ſacratiſſimam animam in hora benedictæ paſſionis tuæ doloris gladius pertranſiuit, Qui uiuis, & regnas in ſecula ſeculorum. Reſ. Amen.

De antiphonis beatæ Virginis poſt Completorium cantandis: & de uigilia eiuſdem. Cap. XXIIII.

DE ANTIPHONIS autem beatæ Virginis poſt Completorium cantandis, hic modus ſeruetur. Data benedictione in choro à Superiore dicente Benedicat, & cuſtodiat nos omnipotēs, & miſericors Dominus Pater, & Filius, & Spiritusſanctus: & reſponſo à choro Amèn, antiphonæ ipſæ cantentur ordine infraſcripto: uidelicet à prima dominica Aduētus uſq; ad uigiliam Purificationis excluſiuè.

Alma redemptoris mater, quæ prauia cœli
Porta manes, & ſtella maris: ſuccurre cadēti,
Surgere qui curat populo tu, quæ genuiſti,
Natura mirante, tuum ſanctum genitorem.
Virgo prius, ac poſterius Gabrielis ab ore
Sumens illud Aue, peccatorum miſerere.

A uigilia Purificationis uſq; ad quartam feriam maioris hebdomadæ incluſiué.

Salue regina miſericordiæ, & cætera, ut proximo ſuperiore capitulo continetur.

A Sabbatoſancto uſq; ad uigiliam Aſcéſionis exclusiué.

Regina cœli lætare, alleluia: & cætera, ut in eodem capitulo.

Ab Aſcéſione uſq; ad Sabbatum ante dominicam primam Aduentus excluſiué.

Aue regina cœlorum, aue domina angelorum.
Salue radix ſancta, ex qua mũdo lux eſt orta.
Gaude glorioſa, ſuper omnes ſpecioſa.
Vale ualde decora, & pro nobis ſemper
Chriſtum exora.

Semper autem ad quancunq; antiphonam.

Ver. Ora pro nobis ſancta dei genitrix.

Reſ. Vt digni efficiamur promiſsionibus Chriſti.

Oró. Omnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſæ uirginis matris Mariæ corpus, & animam, ut dignum filii tui habitaculum effici mereretur, ſpiritusſancto cooperante præparaſti: da, ut cuius commemoratione lætamur, eius pia intercesſione ab inſtantibus malis, & periculis, & à morte perpetua liberemur, Per eũdem Chriſtum dominum noſtrum. Reſ. Amén.

Poſt has uerò antiphonas incipiat is, cui contingit, antiphonam Benedicta tu, ſub qua dicantur pſalmi tres, ideſt Domine dñs noſter, Cœli enarrant,

tāt, Domini eſt terra. Poſteà repetatur communi-ter, & tota eadem antiphona dicatur: atq; ab eo, q habet intonare pſalmos ex latere Hebdomadarii, dicto prius Verſiculo Aue Maria gratia plena: & à choro Reſpōſorio Dominus tecum, continuò dicātur deinceps tres infraſcriptæ lectiones cum ſuis Reſponſoriis, præmittēdo cuilibet Iube Domine benedicere: cui Hebdomadarius det benedictionem dicēdo ad primam lectionem, Nos cum prole pia benedicat uirgo Maria: ad ſecundam, Alma uirgo uirginum intercedat pro nobis ad ſuum filium: ad tertiam, Per uirginem matrem cōcedat nobis Dominus ſalutem, & pacem. Lectiones autem ſunt hæ Prima.

Sermo. s. Auguſtini epiſcopi.

O' beata uirgo Maria quis dignè tibi ualeat iura gratiarum, & laudum præconia impendere? quæ ſingulari tuo aſſenſu mundo ſuccurriſti perdito. Quas tibi laudes fragilitas generis humani perſoluet? quæ ſolo tuo commertio recuperandi aditum inuenit. Accipe tamen dignanter Virgo benigna quaſcunq; exiles, meritisq; tuis impares noſtræ tenuitatis gratiarum actiones: & cum ſuſceperis uota, culpas noſtras orando apud filium tuum dominum, & iudicem noſtrum excuſa. Tu autem Domine miſerere nobis. Reſ. Deo gratias.

Reſ. Sub tuum præſidium confugimus clementiſsima Virgo, ſuſcipe nos unica ſpes noſtra, & noſtris delectare laudibus, quibus indigni omni

te laude digniſſimam collaudamus.

Ver. Aufer à nobis iniquitates noſtras, ut digni canamus tibi gloriæ melos. Quibus indigui.

Lectio ſecunda.

Admitte piiſsima dei genitrix preces noſtras intra ſacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum recōciliationis. Sit per te excuſabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fida mente poſcimus. Accipe, quod offerimus: & dona, quod rogamus: & excuſa, quod timemus, quia tu es ſpes unica peccatorum, per te ſperatur uenia delictorum, & in te beatiſſima noſtrorum eſt expectatio præmiorum. Tu autem, & cætera.

Reſ. Porta cœli, & ſtella maris es uirgo Maria regis æterni mater: gratos nos redde filio tuo: qa omnis uirtus, & decor, & gloria ex te reſplēdet.

Ver. Tu ueniæ uena, tu gratiæ mater, tu ſpes mundi: exaudi nos clamātes ad te. Quia omnis.

Lectio tertia.

Sancta Maria ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu: ſentiāt omnes tuum iuuamen, quicunq; celebrant tuam ſanctam commemorationem. Aſsiſte parata uotis poſcentium, & repende omnibus optatum effectum. Sit tibi cura aſsiduè orare pro populo dei, quæ meruiſti benedicta pretium ferre mundi. Sit tibi compaſſio ſuper afflictis, & pius ſuper cœlorum peregrinis affectus. Cuſtodi nos, ne cadamus,

mus : foue, ne deficiamus : adiuua, ut uincamus : ſalua nos, ne pereamus. Tu autem, & cætera. Fidelium animæ, & cætera.

De ſuffragiis in Officio poſt Veſperas, & poſt Matutinum dicendis. Cap. XXV.

INSVPER de ſuffragiis dicendis temporibus in breuiario aſſignatis in Veſperis, & in Matutinis in fine Officii, hic modus ſeruetur.

Pro. D. Saluatore tam in Veſperis, quàm in Matutinis dicatur.

Ant. Saluator mundi ſalua nos, qui per crucem, & ſanguinem redemiſti nos; auxiliare nobis te deprecamur deus noſter.

Ver. Omnis terra adoret te, & pſallat tibi.

Reſ. Pſalmum dicat nomini tuo Domine.

Oro. Maieſtatem tuam clemens, & omnipotens deus fuſis precibus exoramus, ut ſicut paſſionem domini noſtri Saluatoris cum pia deuotione fideliter recolimus, ita à cũctis erepti dæmonum aduerſitatibus ſemper tibi placere ualeamus.

Pro beata Virgine in Veſperis.

Ant. Aue Regina cœlorum, mater regis angelorũ.
O Maria flos uirginum, uelut roſa, uel lilium:
Funde preces ad filium pro ſalute fidelium.

Ver. Aue Maria gratia plena.

Reſ. Dominus tecum.

Pro. S.

In Matutinis autem.

Ant. Sancta Maria non eſt tibi ſimilis orta in mundo inter mulieres, florens ut roſa, fragrans ſicut lilium: ora pro nobis ad tuum filium.

Ver. Benedicta tu in mulieribus.

Reſ. Et benedictus fructus uentris tui.

In Veſperis autem, & in Matutinis.

Oro. Concede nos famulos tuos quæſimus Domine deus perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa beatæ Mariæ ſemper uirginis interceſſione à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia.

Pro Apoſtolis in Veſperis.

Ant. Petrus apoſtolus, & Paulus doctor gentium, ipſi nos docuerunt legem tuam Domine.

Ver. Cõſtitues eos principes ſuper omnem terram.

Reſ. Memores erunt nominis tui Domine.

In Matutinis autem.

Ant. Glorioſi principes terræ, quomodo in uita ſua dilexerunt ſe, ita & in morte non ſunt ſeparati.

Ver. In omnem terram exiuit ſonus eorum.

Reſ. Et in fines orbis terræ uerba eorum.

In Veſperis autem, & in Matutinis.

Oro. Deus, cuius dextera beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit: & coapoſtolum eius Paulum tertiò naufragantem de profundo pelagi liberauit: exaudi nos propitius, & concede, ut amborum meritis æternitatis gloriam conſequamur.

Pro . s . Auguſtino patre noſtro , dominicis diebus in Veſperis .

Ant . Præſul ſanctiſſime Auguſtine uia morum , ſcri pturæ ſecretum , doctor egregie , lux doctorum , uitæ noſtræ decretum : roga mitiſſime Chriſti nos adire ſecretum .

Reliquis autem diebus.

Ant . Sancte Auguſtine tu dulcedo pauperum , tu pius conſolator filiorum : ora pro nobis .

In Matutinis uerò ſemper .

Ant . Canon uitæ canonicæ , lucerna noſtris pedi/ bus , roga Chriſtum pro famulis , ut noſtris adſit mẽtibus , & in æterna reqe ſuis iungat agminibus.

Semper etiam tam in Veſperis , quàm in Matutinis.

Ver . Ora pro nobis beate pater Auguſtine .

Reſ . Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti .

Oro . Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens deus , & quibus fidutiam ſperandæ pietatis indul ges , intercedẽte beato Auguſtino cõfeſſore tuo , atq; pontifice , conſuetæ miſericordiæ tribue be/ nignus effectum .

Pro Pace in Veſperis , & in Matutinis.

Ant . Da pacem Domine in diebus noſtris , quia nõ eſt alius , q pugnet pro nobis , niſi tu deus noſter .

Ver . Fiat pax in uirtute tua .

Reſ . Et abundantia in turribus tuis .

Oro . Deus , à quo ſancta deſyderia , recta conſilia , & iuſta ſunt opa : da ſeruis tuis illam , quam mun dus dare nõ poteſt , pacem : ut & corda noſtra mã

datis tuis dedita, &, hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla.

Item pro. s. Cruce in Veſperis, & in matutinis fe/rialibus diebus.

Ant. Per ſignum crucis de inimicis noſtris libera nos deus noſter.

Ver. Omnis terra adoret te, & pſallat tibi.

Reſ. Pſalmum dicat nomini tuo Domine.

Orõ. Perpetua nos quæſimus Domine pace cuſto/di, quos per lignum ſanctæ crucis redimere digna tus es, Per Chriſtum dominum noſtrum.

Reſ. Amén.

Quomodo concludi, ſeu terminari Orationes oporteat.

Cap. XXVI.

IAM VERO Orationes, quæ ſiũt ad de/um Patrem ſine expreſſione Filii, uel Spirituſſancti, ſic concluduntur, Per dominum noſtrum IESVM Chriſtum filium tuum, qui tecum uiuit, & regnat in unitate Spirituſſancti deus per omnia ſecula ſeculorum. Reſ. Amén: ut eſt illa beatæ Virginis Cõcede nos famulos tuos, & conſimiles. Similiter illa, in qua fit mentio de Trinitate, ſcilicet Omnipotens ſempi terne deus, qui dediſti famulis tuis. Orationes au/tem, quæ ad Patrem diriguntur cum expreſſione Fi lii, quædam ſic concluduntur, Per eundem domi/num noſtrum IESVM Chriſtum filium tuum, & cæ tera; ut eſt illa in die Natiuitatis Domini, Concede

quæſimus

quæſimus omnipotens deus : quædam ſic , qui te-
cum uiuit , & regnat , & cætera , uti prius : ſicut eſt il
la , quæ dicitur in ſecunda dominica Aduentus , ſci-
licet Excita Domine corda noſtra , & conſimiles .
Sunt & aliæ Orationes , quæ ad Patrem diriguntur ,
in fine quarum fit mentio de Filio , & hæ finiuntur
uel per rectum hoc modo , IESVS Chriſtus filius tu
us dominus noſter , qui tecum , & cætera : ſicut in
Oratione tertia , quæ dicitur in benedictione Palma
rum , ſcilicet Deus , qui diſperſa congregas : uel per
obliquum ſic , Dominum noſtrum IESVM Chriſtum
filium tuum , qui tecum , & cætera : ſicut in Oratio-
ne . s . Stephani protomartyris , ſcilicet Da nobis
quæſimus Domine imitari , quod colimus : & in il-
la altera beatæ Virginis , ſcilicet Deus , qui ſalutis
æternæ . Orationes , quæ diriguntur ad Filium , ſic
concluduntur , Qui uiuis , & regnas cum deo patre
in unitate Spirituſſancti deus , per omnia ſecula ſe-
culorum . Reſ . Amén : ut eſt illa Excita quæſimus
Domine potentiam tuam , in prima dominica Ad-
uétus , & conſimiles . Orationes uerò , quæ dirigun-
tur ad Patrem , & ad Filium cum expreſſione Spiri-
tuſſancti , uel ad Patrem ſolum , concluduntur illæ
quidem , ut ſupra : ſed in fine dicitur In unitate eiuſ
dem Spirituſſancti , & cætera . Deniq; Orationes ,
quæ ad ipſam Trinitatem diriguntur , ſic cōcludun
tur , Qui uiuis , & regnas deus per omnia ſecula ſe
culorum . Reſ . Amén : ut eſt illa Placeat tibi ſancta
Trinitas , & cætera .

Quibus diebus cantare, uel dicere in ſero Matutinum liceat. Cap. XXVII.

IN VIGILIA quoq; , & in die Euchariſtiæ, ſeu Corporiſchriſti, & intra octauam eiuſdem feſti poterunt Canonici noſtri cantare, uel dicere Matutinum in ſero: ſimiliter in uigilia, & in die Viſitationis beatæ Mariæ uirginis, & intra octauam: necnon in uigilia Tranſfigurationis domini Saluatoris: & hoc propter indulgentiam huiuſmodi diebus conceſſam iis, qui præſentes diuino officio interfuerint: & tũc hoc modo procedatur. Dum dicitur antiphona ad Magnificat, pulſetur pro primo ſigno Completorii: expleto uerò ipſo cantico Magnificat, pulſetur pro ſecũdo: & finitis Veſperis, cõtinuò incipiatur Completorium. Dum autem dicitur Completorium, pulſetur ad Matutinum pro primo, aut etiam (ſi ter pulſandum erit) pro ſecundo ſigno: & finito Completorio, factoq; interuallo, pro ut Priori uidebitur, pulſetur pro ultimo ſigno, ad quod Canonici in Eccleſiam conuenientes dicant Matutinum more ſolito. Tribus etiam diebus ante Paſcha Matutinum Veſperi dicere licebit, nec non in uigilia Natiuitatis Domini in principio noctis cum prima Miſſa Natiuitatis cantanda eſt, præſertim in iis locis, ubi talis inoleuit conſuetudo. Sed nullo alio tempore in ſero Matutinum dicatur.

Quomodo, & quando Officium, & Miſſam celebrari pro defunctis oporteat. Cap. XXVIII.

PORRO ſequēti die poſt feſtum Omniumſanctorum fiat Commemoratio Omniumdefunctorum, pro quibus ad modum minorum duplicium celebretur, ita ut poſt Veſpas feſti in ipſo die Omniumſanctorum ſtatim Veſperæ mortuorum, & Matutinum totum cum nouem lectionibus, & laudibus deinceps dicantur, poſtridie uerò Miſſa celebretur. Idem fiat quocunq; die aliquem fratrum noſtrorum decedere continget, dummodo hora ſit competēs: & Miſſa cum ſequētia, & exeqæ celebrētur. Primo autem die tam poſt Conuerſionem. s. Pauli apoſtoli pro patribus, ac matribus fratrum Congregationis noſtræ, quàm poſt octauam. s. Auguſtini patris noſtri pro ipſis fratribus, propinquis, ac benefactoribus Ordinis noſtri (niſi fortè dies illos occurrere in Dominica contingat) Veſperæ, & Matutinum, ac Miſſa defunctorum celebrentur ad modum ſemiduplicium cum Sequentia: alioquin, ſi in Dominicam inciderint, totum hoc Officium in ſequentem diem transferatur, ita tamen, ut ipſo die dominico præcedenti Veſperæ, ac Matutinum dicantur, die uerò ſequenti Miſſa celebretur: & tūc Orationes, quæ huiuſmodi diebus ſunt dicēdæ, in tono Miſſæ dicantur. Notandum quoq; eſt, prædictis diebus & Inuitatorium dici, & propriam Ora-

Quibus diebus cantare, uel dicere in ſero Matutinum liceat. Cap. XXVII.

IN VIGILIA quoq;, & in die Euchariſtiæ, ſeu Corporiſchriſti, & intra octauam eiuſdem feſti poterunt Canonici noſtri cantare, uel dicere Matutinum in ſero: ſimiliter in uigilia, & in die Viſitationis beatæ Mariæ uirginis, & intra octauam: necnon in uigilia Tranſfigurationis domini Saluatoris: & hoc propter indulgentiam huiuſmodi diebus conceſſam iis, qui præſentes diuino officio interfuerint: & túc hoc modo procedatur. Dum dicitur antiphona ad Magnificat, pulſetur pro primo ſigno Completorii: expleto uerò ipſo cantico Magnificat, pulſetur pro ſecũdo: & finitis Veſperis, cõtinuò incipiatur Completorium. Dum autem dicitur Completorium, pulſetur ad Matutinum pro primo, aut etiam (ſi ter pulſandum erit) pro ſecundo ſigno: & finito Completorio, factoq; interuallo, pro ut Priori uidebitur, pulſetur pro ultimo ſigno, ad quod Canonici in Eccleſiam conuenientes dicant Matutinum more ſolito. Tribus etiam diebus ante Paſcha Matutinum Veſperi dicere licebit, nec non in uigilia Natiuitatis Domini in principio noctis cum prima Miſſa Natiuitatis cantanda eſt, præſertim in iis locis, ubi talis inoleuit conſuetudo. Sed nullo alio tempore in ſero Matutinum dicatur.

Quomodo, & quando Officium, & *Miſſam celebrari pro defunctis oporteat.* Cap. XXVIII.

PORRO ſequēti die poſt feſtum Omniumſanctorum fiat Commemoratio Omniumdefunctorum, pro quibus ad modum minorum duplicium celebretur, ita ut poſt Veſpas feſti in ipſo die Omniumſanctorum ſtatim Veſperæ mortuorum, & Matutinum totum cum nouem lectionibus, & laudibus deinceps dicantur, poſtridie uerò Miſſa celebretur. Idem fiat quocunq; die aliquem fratrum noſtrorum decedere continget, dummodo hora ſit cōpetēs: & Miſſa cum ſequētia, & exeqæ celebrētur. Primo autem die tam poſt Conuerſionem. s. Pauli apoſtoli pro patribus, ac matribus fratrum Congregationis noſtræ, quàm poſt octauam. s. Auguſtini patris noſtri pro ipſis fratribus, propinquis, ac benefactoribus Ordinis noſtri (niſi fortè dies illos occurrere in Dominica contingat) Veſperæ, & Matutinum, ac Miſſa defunctorum celebrentur ad modum ſemiduplicium cum Sequentia: alioquin, ſi in Dominicam inciderint, totum hoc Officium in ſequentem diem transferatur, ita tamen, ut ipſo die dominico præcedenti Veſperæ, ac Matutinum dicantur, die uerò ſequenti Miſſa celebretur: & tūc Orationes, quæ huiuſmodi diebus ſunt dicēdæ, in tono Miſſæ dicantur. Notandum quoq; eſt, prædictis diebus & Inuitatorium dici, & propriam Ora-

tionem terminari, ac ſolam dici oportere. Deniq;, ſi lectiones tertii nocturni cantantur, ultimum Re/ſponſorium ſit Libera me Domine de morte æter na, cum ſuis uerſibus: ſi uerò non cantantur, dica/tur Libera me Domine de uiis inferni, & cætera: nec dicatur pſalmus De profundis.

De Oratione Cœmiterij. *Cap.* XXIX.

QVANDO etiam contingit tranſiri per Cœmiterium, pium eſt orare pro de/functis hoc modo. Dicatur pſalmus De profundis cum Requiem æternam in fine. Poſteà uerò ſubiungantur hæc.

Pater noſter.
Ver. Et ne nos inducas in tentationem.
Reſ. Sed libera nos à malo.
Ver. A' porta inferi.
Reſ. Erue Domine animas eorum.
Ver. Requieſcant in pace.
Reſ. Amen.
Ver. Domine exaudi orationem meam.
Reſ. Et clamor meus ad te ueniat.
Ver. Dominus uobiſcum.
Reſ. Et cum ſpiritu tuo.
Orõ. Oremus: Deus, cuius miſeratione animæ fi/delium requieſcunt, famulis, & famulabus tuis om nibus hic, & ubiq; in Chriſto quieſcẽtibus, da pro pitius ueniam peccatorum, ut à cũctis reatibus ab/ſoluti tecum ſine fine lætentur, Per Chriſtum do/

minum noſtrum. Reſ. Amén.

Quomodo in Cœna Domini procedendum ſit in Mãdato. Cap. XXX.

IN COENA autem Domini poſt nudationem altarium hora, qua uidebitur Maiori, tabula facto ſigno à Sacriſta, uel ab alio, fratres conueniãt in Capitulum, uel in clauſtrum ad faciendum Mandatum: & ibidem deuotè ſedeant cum ſilentio congregati, uſq; dum Diacono apparato è ſacrario ad dictum locum uenienti cum Subdiacono portante Crucem coopertam, & Ceroferariis, & Thuribulario cum incenſo omnes aſſurgant. Tum uerò ipſe Diaconus accepta benedictione à Præſidẽte, & dicto Dominus uobiſcum, ac incenſato libro, cantet Euãgelium ipſius diei, ideſt Ante diem feſtum Paſchæ: quo cantato, reuertantur Diaconus, & alii ad ſacrarium eo ordine, quo uenerunt. Cantor uerò adiunctis ſibi aliquot aliis Canonicorum fratrum, incipiat cantare Mãdatum: & eodem tempore ſint duo, uel plures ſecundum iudicium Prioris diſpoſiti ad miniſtrandum: quorum unus peluim ſub fratrum pedibus ponat, incipiens à ſupremo, atq; idem poſteà lotionem effundat: alius aquam frigidam, & calidam, prout opus fuerit, infundat. Prior uerò, & aliquot alii ex iis, qui maioris authoritatis ſunt, Canonicis mundis accinti linteis lauent, & tergant,

ac oſculentur quos aliorum fratrum pedes lauant :
atq; ibidem habeatur uas aliquod paratum , in quod
recipiantur omnium lotiones . Interim ea cantētur ,
quæ cantanda ſunt ex parte , uel in totum , prout pau
citas , uel multitudo lauandorum fratrum requirit .
Similis modus in lotione pedum cum alia pelui (ſi
Priori uidebitur) ex alia parte aſtātium ſecularium
obſeruetur . Completa itaq; lotione pedum , ac om
nibus uaſculis de medio remotis , legatur ſermo ,
quem Lector terminet ad ſignum Præſidentis di/
cens loco Tu autem Domine miſerere nobis , Sur/
gite eamus hinc , cæteris reſpondentibus In Chri/
ſti nomine amén : & tunc omnes Canonici cōſurgen
tes bini intrēt Eccleſiam Completorium in commu/
ni dicturi . Parato autem potu hora collationis in
refectorio , Lector bibliæ non cantando , ſed legen
do recitet illud Euangelii Ioannis cap . xiii . incipiēs
ab his uerbis , Amèn amèn dico uobis , nō eſt ſeruus
maior domino ſuo , & proſequatur lectionem inclu/
ſiuè uſq; ad uerſum , ubi dicitur Surgite eamus hinc ,
& reſpondeatur à fratribus , ut ſupra , In Chriſti no
mine amén .

Quomodo proceſsiones in Eccleſia facienda ſint. Cap. XXXI.

PRÆTEREA in die Omniumdefuncto
rum exeundo de choro ad proceſſio/
nem faciendam per clauſtrum talis or
do ſeruetur . Primò præcedant Cero/
ferarii

ferarii ſimul iuncti : deinde duo fratres, quorum u/
nus aquam benedictam, alter thuribulum fumigan
tem deferat, camiſeis, uel cotis induti : tertiò Sub/
diaconus cum cruce : poſt crucem uerò Canonici fra
tres cantantes ſequantur bini, aſſociati ſecūdum di
ſpoſitionem Cantoris, uel Præſidentis. Deniq; poſt
omneis incedat Prior, uel alius Sacerdos celebratu
rus Miſſam cum pluuiali, ad cuius dexteram eat
Diaconus : & incipientes proceſſionem à parte Capi
tuli uadant per circuitum clauſtri, donec ueniant ad
hoſtium Eccleſiæ, unde exierūt, uel ad ianuam ex/
teriorem, ſi Priori uidebitur : & ſic cantantes Eccle
ſiam ingrediātur cāpana pulſante. Cum autem pro/
ceſſio in clauſtrum aduenerit, Subdiaconus portans
crucem, cum peruenerit ad ſecūdum angulum clauſtri,
uertat ſe ad fratres, Acolythi uerò, & deferētes (ut
dictum eſt) aquam, & incēſum bini hinc, atq; hinc
circa Subdiaconum ſimiliter aſſiſtant : alii autem Ca
nonici uerſis è regione uultibus cantātes morabūtur,
donec Cantor innuerit crucem procedere. Idem fi/
at in aliis duobus angulis. In Purificatione uerò bea
tæ Virginis, facta candelarum benedictione, uadāt
fratres ad proceſſionem deferētes candelas accenſas
in manibus hoc modo. Primò præcedant Cerofera
rii, quos ſequatur unus, cui Sacriſta iniunxerit, ge
ſtans Crucem : deinde fratres bini, iunioribus præce
dentibus : & egrediētes Eccleſiam per portam (ut di
ctum eſt) clauſtri, uel p portam maiorem Eccleſiæ,
circumeāt clauſtrum, uel Eccleſiam, donec peruene

rint ad aliam portam : ac cætera proſequantur , ut in Miſſali traditur . Finita uerò proceſſione , deponant candelas , eas antè extinguendo . Idem ſeruetur in dominica Palmarum de oliuarum , ſiue palmarum ramis : in qua etiam proceſſione deferatur crux nudata . Sacerdos uerò celebraturus procedat poſt omneis cum Diacono , & Subdiacono . Idem quoq; ſeruetur in aliis proceſſionibus , quæ fiunt per clauſtrum , uel circum Eccleſiam , ſi poſt illas eſt celebranda Miſſa .

Quomodo feſtis , & ferialibus diebus apparari altaria oporteat . Cap . XXXII .

INSVPER altaria noſtra à Sacriſta in feſtis maioribus , & minoribus duplicibus honorabilibus ueſtibus , ſi habentur , apparētur : dominicis uerò , & ſemiduplicibus diebus aliquantò minus feſtiuis . Omnibus autem aliis diebus altaria ueſtibus albis , uel alterius coloris , prout facultas loci ſubminiſtrabit , apparata habeātur . Sacriſta uerò in loco ad hoc deputato ſingulis ſacerdotibus ſingula naſitergia præparet , quorum quiſq; ſacerdos , cum ſe ad celebrandum apparat , quod ſibi aſſignatum fuerit , accipiat : nulli autem iis aliter uti liceat , niſi in diuinis celebrandis . In quolibet etiam altari præter Corporale tres ſaltem tobaleæ tempore conſecrationis habeantur . Præterea in ſacrario habeantur duo manutergia ,

gia, unum ad uſum ſacerdotum, alterum ad opus miniſtrorum: quibus ſimiliter neq; ſacerdos, neque miniſtri utantur, niſi cum debent celebrare, uel tangere ſacra, ſeu libros. Sacriſta autem corporalia, calices, ſacras ueſtes, & ornamenta cum utenſilibus ſacrarii ſemper munda ſeruet. Purificatoria quoq; & Corporalia Sacriſta tantùm, uel alius ex Canonicis lauet. Vtenſilia uerò ſacrarii, & Eccleſiæ, ac tobaleæ nullatenus ad communes, uel exteriores uſus deputentur: & in apparatione altarium decens reuerentia exhibeatur. Deniq; quandocunq; aliquod ſeruitium fieri ab aliquo oportebit circa altare, ſimiliter cum reuerentia fiat.

De coloribus ornamentorum altarium: & quibus ueſtibus quibus temporibus uti miniſtri altaris debeant. *Cap.* XXXIII.

SIMILITER in locis noſtris, ubi ſunt diuerſorum colorum eccleſiaſtica indumenta, Canonici celebraturi diebus, & temporibus infraſcriptis diuerſimodè eis utantur: Violatis igitur ornamentis, ſeu nigris utantur ab Aduentu uſq; ad uigiliam Natiuitatis Domini: & à Septuageſima uſq; ad Sabbatum ſanctum. Idem obſeruetur in Vigiliis, & in diebus afflictionis, in Miſsis pro peccatis, ac defunctorum, & in Miſſis feriarum. In feſto etiam. ss. Innocentium (niſi uenerit in dominica) idem fiat. Albis in

tertia dominica Aduentus : in Natiuitate Domini : in
Epiphania : in Conuerſione . s . Pauli : in Purificatio/
ne , & in omnibus aliis feſtiuitatibus , ac Miſſis bea/
tæ Virginis : in Cathedra . s . Petri : in dominica Læ
tare Hieruſalem : in Cœna Domini : in Sabbato ſan
cto : à Reſurrectione uſq; ad Aſcenſionem , etiam ſi
de feria contingat fieri : in Aſcenſione , & per Octa/
uam : in feſto ſanctæ Trinitatis : in ſolennitate Cor
poriſchriſti , & per Octauam : in Natiuitate . s . Ioan
nis Baptiſtæ : in feſtiuitatibus , & in Miſſis Angelo/
rum , ſanctorum Confeſſorum , Sanctarum omnium
& uirginum non martyrum , & nec uirginum , nec
martyrum : & in Dedicatione Eccleſiæ . Rubris utan
tur in feſtiuitatibus . s . Crucis : in Circunciſione Do
mini : in Pentecoſte , in Decollatione . s . Ioannis Ba
ptiſtæ : in feſto Omniumſanctorum : in feſtiuitati/
bus omnium Apoſtolorum , & Sáctorum , atq; San
ctarum omnium martyrum . Viridibus uerò utátur
diebus dominicis ab octaua Pentecoſtes uſq; ad pri
mam dominicam Aduentus excluſiuè , & ab octaua
Epiphaniæ uſq; ad Septuageſimam ſimiliter excluſi
uè . Deniq; quádo cantatur Paſſio Domini , qui can
tat uócem Domini , utatur ſtola alba : qui Euange/
liſtæ , rubra : qui Iudæorum , uiridi .

*De agendis in Miſſa conuentuali per ſacerdotes , & mi-
niſtros , præſertim in duplicibus uel maioribus , uel mi
noribus , & ſemiduplicibus , ac dominicis diebus .*

Cap . XXXIIII .

NVNC VERO de Miſſa agẽdum eſt. Quare cum in Conuentu Miſſa erit celebranda, miniſtri altaris audito primo ſigno, lotis prius manibus, ſe nõ differant apparare: in primisq; Acolythi, & Thuribularius camiſeis, uel cotis, ut in maioribus, & minoribus duplicibus, induti alios miniſtros adiuuent: nihilominus tamen Diaconus, & Subdiaconus mutuò ſe adiuuent, & ambo poſteà ſacerdotem. In huiuſmodi autem apparatione ſunt deponendæ à miniſtrantibus capæ in Conuentu, & ueſtes communes ſub eccleſiaſticis ita aptãdæ ſunt, ne gibbus aliquis appareat in humeris Canonicorum. Hora autem competenti Acolythi cereos deferendos accendãt. Sacriſta autem ꝓuideat, ut ante inchoationem Miſſæ ſemꝑ cerei altaris accendãtur. Prouideat etiam, ut tempore magni frigoris prunæ accenſæ in patela decenti habeantur per Acolythos miniſtrandæ tempore opportuno. Dominicis quoq; diebus prouideat idem Sacriſta, ut præſtò ſit aqua benedicta poſita in decẽti uaſculo cum aſpergillo ſuper gradu ante altare, uel in alio loco ad hoc deputato: quæ cum fuerit aſpergenda, Acolythus quiſpiam ante ſacerdotem præcedat è ſacrario, & ueniens ante altare cum uaſculo aquæ, uel accepto eo de gradu (ſi ibi erit) altaris, ſemꝑ ſacerdoti ad dexteram, dum is aquam aſpergit, aſſiſtat.

Quomodo aqua bñdicta aſpergenda ſit. Cap. XXXV.

FLEXIS itaque genibus ſacerdos ante
altare primum aſpergat illud , cauens
ne nimium aquæ proiiciat : poſteà Cã
tores ſimul iunctos, & ante pulpitum
apparatos, ſi feſtum duplex erit : dein
de Canonicos in choro incipiẽs à dextris, niſi Præla
tus maior fuerit in ſiniſtro choro : nam ille chorus,
in quo Maior aliquis fuerit, prior eſt aſpergendus :
deinde alter, in quo fuerit Minor : poſtremò ſecula
res, ſi aderunt, poſt Canonicos aſpergantur. Prædi
ctus etiam modus obſeruetur in thurificãdo, & dan
do pacem. Illos autem, qui in inferiore parte Ec/
cleſiæ fuerint, aſpergat is, cui Cantor, uel Sacriſta
iniũxerit, uel potius (ſi commodè ita ſe poterit ex/
pedire, ut in tempore redeat ad dicendam oratio/
nem) ipſe ſacerdos : qui ſubinde ante gradum al/
taris, Acolytho ſibi à tergo interim aſſiſtente, de/
poſito prius uaſculo aquæ in loco ſuo : aut (ſi com/
modè id fieri nõ poterit) ſuper gradu altaris, poſt/
quàm Aſperges me Domine, ut aſſolet, à Conuen
tu fuerit decantatum, dicat, Choro ſibi uiciſſim re
ſpondente,

Ver. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.
Reſ. Et ſalutare tuum da nobis.
Ver. Domine exaudi orationem meam.
Reſ. Et clamor meus ad te ueniat.
Ver. Dominus uobiſcum.
Reſ. Et cum ſpiritu tuo.
Orõ. Exaudi nos Domine ſancte, pater omnipo/

tens, æterne deus: & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, ꝓtegat, uiſitet, atqꝫ defendat omnes habitātes in hoc habitaculo, Per Chriſtum dñm noſtrum. Reſ. Amén. Quibus dictis Sacerdos, Acolytho præcedente, in ſacrarium reuertatur.

Quo ordine procedere ad altare Sacerdos, & miniſtri debeant. Cap. XXXVI.

VERVM incepto Introitu à Conuentu, Sacerdos, & miniſtri procedant ad altare hoc modo. Primò Acolythi candelabra decentia cum cereis accenſis ſuper impoſitis ſimul geſtantes: quos paulo interuallo ſequatur Thuribularius circa medium eorum, ſi unus erit: ſi duo, ambo ſimul eodem modo: deinde Cantores, ſi aderunt, ut in ſolennioribus feſtiuitabus, & celebrioribus Eccleſiis aſſolet: poſteà Subdiaconus Epiſtolarium pectori ſupernè acclinatum ſiniſtra manu ſuppoſita deferens, & dextera librum tenens: deinde Diaconus Miſſale & ipſe eodem modo geſtans: ultimo loco Sacerdos iunctis manibus. Cum uerò peruenerint ad altare, Subdiaconus ſtet in ſiniſtra parte, Diaconus in dextra. Porrò Sacerdos tranſiens inter altare, & Diaconum conſiſtat in medio illorum, & hoc quando ſacrarium eſt in parte meridiana: ſin autem eſt in parte meridiei oppoſita, inter Subdiaconum, & altare tranſeat: dictóqꝫ

Introibo, & cætera, ut in Miſſali, inclinet ſe ad Confeſſionem non flectendo genua, ſtantibus interim Acolythis erectis uerſus altare. Facta itaq; Confeſſione, & dicto à miniſtris Miſereatur tui, erigat ſe ſacerdos, donec eſt dicturus Indulgētiam, quod dicens inclinet ſe iterum uſq; ad finem: hoc etiam ſeruent miniſtri, dum dicunt Confeſſionem. Facta autem abſolutione, erigant ſe omnes, & Sacerdos Diacono, & Subdiacono ſuſcipientibus dicat Deus tu conuerſus, & cætera: tandem dicto Dominus uobiſcum, inclinatus iunctis manibus dicat Orationem Aufer à nobis, aliquantulùm claré: qua dicta, accedat ad altare, & iterùm inclinatus dicat Oramus te Domine ſecretò: deinde declinãdo manus ſuper altare, oſculetur illud. Interim Diaconus deponat Miſſale in dextro cornu altaris, & Subdiaconus Epiſtolarium in ſiniſtro. Acolythi uerò deponant cum cereis candelabra ſuper gradu inferiore altaris: atq;, ſi feſtum duplex maius eſt, incenſetur altare, ut ſupra Cap. xx. traditum eſt: deinde conueniētes ad librum dicant Introitum, & kyrie hoc ordine.

Quo ordine aſsiſtere ſacerdoti ad altare miniſtri debeant: & de celebratione Miſſæ uſq; ad Gloria in excelſis. Cap. XXXVII.

SACERDOS igitur ante librum ſtet, Diaconus iuxta Sacerdotem ex parte dextra, iuxta Diaconum Subdiaconus, deinde Acolythi ambo ſimul iuncti,

poſtremò

poſtremò Thuribularius. Cantores uero, ſi aderũt, mox ut ad altare acceſſerint, recedentes uadant in chorum. Eodem modo ſtent miniſtri proſequẽdo Communionem circa Miſſæ finem: ſed in proſecutione Gloria in excelſis deo, Credo in unum deum, Offertorii, Sãctus, & Agnus dei, q̃a ad medium altaris hæc dicũtur, ꝓpterea Diaconus aſſiſtat ad ſiniſtram Sacerdotis cum uno Acolythorum poſt ſe, & Subdiaconus ad dextram cum altero: in medio uerò Acolythorum Thuribularius, excepto quòd ad proſecutionem tantùm Gloria in excelſis deo e contrario Diaconum ad dextram, ad læuam Subdiaconum aſſiſtere oportet: deinde in ordinem redigãt ſe, ita ut Diaconus poſt ſacerdotem, Subdiaconus poſt Diaconum, poſt Subdiaconum ſtet Thuribularius, Acolythi uerò iuxta Diaconum utrinq; unus à læua, & alter à dextra æquè diſtantes in modum crucis: & hic modus aſsiſtendi ſeruetur in tota Miſſa, niſi ſint aliquo miniſterio occupati miniſtri. Deniq; dicto Introitu, & Kyrieeleiſon à Sacerdote, & miniſtris, poterunt omnes ire ſeſſum ordine, ut infra dicetur, ſeruato.

Quo ordine aſsidere Sacerdoti miniſtri debeant: & de celebratione Miſſæ uſq; ad Epiſtolam. Cap. xxxviii.

AD DEXTERAM igitur Sacerdotis ſedeat ſemper Diaconus, etiam cum cantatur Epiſtola: ad ſiniſtram Subdiaconus: Acolythi ad pedes eorum

hinc inde: Thuribularius autem in medio eorum ad pedes Sacerdotis, ſi tamen ad ſeſſionem ꝑ gradus aſcenditur: alioquin ſedeãt iuxta miniſtros, uel alibi, prout cõmodius poterunt; & tunc ambo Acolythi, uel alter eorum acceptam decẽtem tobaleam extendant ante Sacerdotem, Diaconum, & Subdiaconum, niſi cum pro mortuis celebratur. Idem faciant, cum poſt Orationem, uel Orationes illi ſedebunt. In fine uerò Kyrieeleiſon conſurgãt omnes, & accedant ad altare: & ſtãs Sacerdos ante medium altaris, eleuatis manibus incipiat Gloria in excelſis deo, ſi erit dicenda; cumq; dicit Deo, iungat manus: deinde ſimul accedentes miniſtri, ibidem proſequantur inceptum cum Sacerdote æquali uoce dicentes, & ordine, ut ſupra dictum eſt, ſtantes. Verùm miniſtris, & aliis Canonicis ab eo cauendum eſt, ne tranſeant, dum aliquid inſtat agendum, inter ipſos miniſtros, & altare, ſed retrò id agãt. Dum autem cantatur Gloria in excelſis à Conuentu, poterunt ipſi ſedere uſq; ad finem: finitoq; Gloria, uel (quando non dicitur Gloria) Kyrieeleiſon, Sacerdos oſculato altari uertens ſe ad populum dicat Dominus uobiſcum, & Diaconus, non tamen flexis genibus (niſi Epiſcopus, uel alius in pontificalibus celebraret) leniter Caſulam trahat per inferiorem extremitatem. Sacerdos autem cum dixerit Dominus uobiſcum, iũctis manibus reuertatur ad librum non ſe gyrando, & tum deductis, eleuatisq; manibus dicat Orationem (prædicta uerò manuum eleuatio ſic

illa

illa quidem eſt facienda, ut altitudine humeros ſacerdotis ſupremæ manus non excedant; ſed extenſio tanta, ut retrò aſtantibus manus appareāt euidenter) ibidemq́; terminet etiam omnes alias Orationes ante Epiſtolam dicendas. Cum autem dicēdum eſt Flectamus genua, ſtans ad dextrum cornu altaris, nec conuerſus ad populum incipit abſolutè Oremus, ſine Dominus uobiſcum: & facto modico interuallo, poſtquàm dixerit Flectamus genua, & dictum fuerit Leuate, abſolutè proſequatur Collectam. Diaconus uerò, ſi miniſtrat, dicat Flectamus genua, Leuate. In omnibus etiam Collectis, quæ dicūtur ante prophetias, ſiue una, ſiue plures legantur, idem modus ſeruetur. In prima autem Oratione, quæ præcedit Epiſtolam poſt prophetias, uertens ſe (ut paulo ante dictum eſt) ad populum ſemper dicat Dominus uobiſcum: deinde legatur Epiſtola in pulpito ſecundum ſolennitates, & pro temporum ratione ornato: quod tamen ſemper ſit tobalea coopertum, niſi in Paraſceuē.

Quo ordine procedere ad cantandam Epiſtolam *Subdiaconus debeat: et de celebratione* Miſſæ *uſq; ad* Euangelium. Cap. XXXIX.

SVBDIACONVS uerò deferens Epiſtolarium ante pectus (ut ſupra cap. xxxvi. explicatum eſt) præeunte Acolytho, accedat ad præfixum pulpi-

tum (ſi quod erit) ad hoc paratum, & ibi cantet Epiſtolam; aliter cantetur Epiſtola ante inferiorem gradum altaris, pulpito ibidem poſito, paratóq; cõtra medium altaris, nec tunc à Sacerdote legi Epiſtolam oportebit. Quando uerò Epiſtola, uel Euangelium cãtatur, uel Paſſio, ſemper pulpitum ſit tobaleá coopertum, ſiue dies ſit feſtus, ſiue ferialis, præterquàm in Paraſceue. Cantata igitur Epiſtola, Subdiaconus accedens ad ſacrarium præparet hoſtiam mundam, non maculatam, ponatq; eam ſuper Patena, cooperiens Corporali paruo plicato: deinde tergat aliquantulùm calicem, & in illum fundat uinum purum, ei'que Patena cooperto ſuperextendat pallam mũdiſſimam ad hoc à Sacriſta paratam, ſicq; ipſum calicem paratum ad præſens relinquat in ſacrario: tum uerò acceptam Burſam ſuperimpoſito Corporali magno, quod ſupponitur calici in altari, & Purificatorio, coopertam ſudario mũdo deferat ad altare, & ibidem tradat Diacono ad ipſum accedenti: & hoc cum dicitur Credo in Miſſa: cum uerò non dicitur Credo, tunc, cantata Epiſtola, deferat Burſam ſimul cum calice: Diaconus uerò extendat Corporale ſuper altare, ita ut lõgitudo eius in longitudinem altaris porrigatur, & cætera per ordinem coaptet: necdum tamen propter puluerem explicetur Corporale uſq; ad calicis oblationem. Corporale autem, quod ſupponitur calici, habeat quatuor plicas in longitudinem, & tres in latitudinem. Hoc ipſum faciat Sacerdos, ſi non ſeruit Dia-

conus,

conus, hoc addito, ut ipſemet portet calicem, cum ibit ad altare, ſicut in Miſsis priuatis obſeruatur. Cum autem Subdiaconus procedit ad cantandam Epiſtolam, Sacerdos, & cæteri miniſtri, dicta Oratione ultima, uadant ſeſſum, & Diaconus ſedeat ad dexteram Sacerdotis, ut proximo ſuperiore Cap. dictum eſt. Si uerò non ſeruit Diaconus, non accedat Sacerdos ad ſedem, niſi propter debilitatem. Si autem Sacrarium multum diſtabit ab altari, tũc poterit in principio Miſſæ portari calix, uel alibi parari, prout facultas ſubminiſtrabit: quod etiam fieri oportet, quãdo celebratur pro defunctis: & tũc Subdiaconus deferat Miſſale, & Diaconus calicem. Circa finem uerò Alleluia, uel Tractus, uel Gradualis, uel Sequentiæ pro tempore, Subdiaconus Miſſale transferat ad ſiniſtrum cornu altaris, Acolythi cereos præparent, & Thuribularius paratum thuribulum ipſe tenens, tradat uaſculum incenſi Subdiacono, qui petita benedictione incenſi, & benedicto incenſo à Sacerdote, dicente In nomine patris, & filii, & ſpiritusſancti, impoſitoq; in thuribulo, ipſum thuribulum accipiat de manu Thuribularii, tradito ei uaſculo incenſi. Diaconus uerò de ſiniſtro cornu altaris accipiens librum Euangeliorum clauſum genibus flexis dicat orationem Munda cor meum, ſecretò: deinde ſurgat, & inclinatus coram Sacerdote ante medium altaris ſtante, petat ab eo benedictionem, dicens Iube domine benedicere: quem Sacerdos benedicat, dicens Dominus ſit in corde tuo,

& cætera, ſicut in Miſſali continetur: & procedát ad pulpitum modo, quo infra capitulo proximo dicetur. Studeant tamen tam Diaconus, quàm cæteri miniſtri, ita ſeſe expedire, ut poſsint ad pulpitum commodè accedere, antequàm ſit dicendum Euangelium, & potius expectare, quàm expectari.

Quo ordine procedere ad cantandum Euangelium Diaconus debeat: & de celebratione Miſſæ uſq; ad Offertorium. Cap. XL.

PRIMO itaq; Acolythi, ſecundò Thuribularius cum uaſculo incenſi, tertiò Subdiaconus cum thuribulo fumigante, ultimo loco Diaconus librum declinatum ſuper pectus (quemadmodum etiam ſupra Cap. xxxvj. poſitum eſt) deferens procedant. Cumq; peruētum fuerit ad pulpitum, Diaconus ponat librum ſuper pulpitum, ibidem inſiſtens. Acolythi uerò unus à dextris, alter à ſiniſtris poſt pulpitum uerſa facie ad Euangelium ſtabunt: Subdiaconus poſt Diaconum cum thuribulo, & Thuribularius poſt Subdiaconum. Cum autem Diaconus dicit Sequentia ſancti Euangelii, uel Initium ſancti Euangelii, faciat quatuor cruces police, ſignando unam ſuper Euangelii principium, alteram ſibi ſuper frontem, tertiam ſuper os, quartam ſuper pectus. Tum uerò Subdiaconus accedens, ex parte dextra Diacono præbeat Thuribulum ad incenſan

dum Euangelium: quo incenſato, Diaconus reddat thuribulum Subdiacono ex parte ſiniſtra: qui poſt/modum tradat illud Thuribulario ad tenēdum, & agitandum incenſando poſt Diaconum, dum is can/tat Euangelium. Ipſe uerò Subdiaconus uadat poſt pulpitum, in medio Acolythorum inſiſtens non iun/ctis manibus, conuerſusq́; ad Euangelium, donec il/lud fuerit completum: Diaconus tamen iunctis ma/nibus ipſum proſequatur Euangelium. Cum autem dicūt Canonici in choro Gloria tibi Domine, uertāt ſe Sacerdos, & miniſtri ad altare, ſignantes ſe ſigno crucis, & inclinantes omnes, praeter Diaconum tunc in Euangelio incenſando occupatum. Dum igitur Euangelium cantatur, ſtet Sacerdos iūctis manibus in dextro cornu altaris, & uerſa facie ad Euāgelium, donec totum fuerit decātatum. Similiter Canonici uertere ſe debent ad Euangelium, ubicunq; lega/tur. Finito itaq; Euangelio, Diaconus tradat librum apertum Subdiacono ex parte dextra, & omnes ſi/mul reuertantur ad altare eodem ordine, quo pro/ceſſerunt: his exceptis, quòd Thuribularius porta/bit thuribulum, Subdiaconus librum Euangelii, & Diaconus iūctis manibus ꝓcedet. In fine uerò Euan/gelii Sacerdos ſtatim ueniens ad medium altaris, in/tonet Credo in unum deum, ſi erit dicendum, ele/uādo manus, & deponēdo, quemadmodum ad Glo/ria in excelſis deo: nec tamen illud proſequatur, do/nec miniſtri uenerint ad altare. Cumq́; miniſtri ad altare peruenerint, Subdiaconus offerat librum ſa/

cerdoti ad oſculandum, Diacono Euangelii princi/
pium police demonſtrāte: quem poſt ſacerdotem oſ
culetur etiam Diaconus, niſi cum celebratur pro de/
functis, uel cum legitur Paſsio Domini. Poſt hæc
Subdiaconus librum reponat ſuper altari, ubi prius
erat: deinde miniſtri inceptum unà cum ſacerdote
proſequantur ordine ſupradicto. Finito uerò Credo
in choro, uel etiam (ſi Credo non dicitur) Euange
lio, Sacerdos ſimiliter ſtatim cōuerſus ad populum,
dicat Dominus uobiſcum, & rurſum uertens ſe ad al
tare manibus, ut prius, eleuatis, deinde iunctis, di/
cat Oremus: ſed tamen non proſequatur Offertori/
um, donec miniſtri puenerint ad altare, qui unà cum
eo illud proſequātur ſtantes, ut prius. Deniq; poſt/
quàm ſimul omnes dixerint Offertorium, exhibeat
Subdiaconus calicem Diacono, ut infra proximo ca
pitulo continetur.

Quo ordine ad ſacrarium, uel aliò, ubi fuerit calix præ paratus accedere, ac reuerti cum eo poſt Offertorium Subdiaconus debeat: & de celebratione Miſſæ uſq; ad Lauabo. Cap. XLI.

SI IGITVR Credo dicendum eſt, fini
to illo à Sacerdote, & miniſtris, Sub/
diaconus cum altero Acolythorum, le
cto Offertorio, uadat ad Sacrarium,
præeunte Acolytho: ibiq; accipiens calicem iam à ſe
(ut ante cap. xxxix. dictum fuit) cum mundiſsi/

ma

nia palla paratum, finito Credo à Couentu, deferat uſq; ad medium altaris, Acolytho ſimiliter præeunte, & in dextera portante ampullam aquæ. Si uerò non eſt dicendum Credo, faciat hoc idem, dicto Offertorio à Sacerdote, & miniſtris, Diaconus. Cum autem Subdiaconus peruenerit ad altare, Diaconus pallam deducat, & acceptum de Patena Corporale paruum plicatum, quod ſupponitur calici, deponat ſuper Corporale magnum ex parte dextra; deinde acceptam ſimiliter de calice Patenam cum hoſtia tradat Sacerdoti manum eius oſculãdo: q ſuſtinẽs eam ambabus manibus aliquantulùm eleuatis, dicat Suſcipe ſancte pater, & cætera: & in fine huius Orationis deponat hoſtiam ſuper Corporale ex parte ſiniſtra. Poſteà Diaconus accipiat calicem à Subdiacono, & Subdiaconus ampullam aquæ ab Acolytho, quam eandem Sacerdos cruce ſignãdo à Subdiacono accipiat dicens Deus, qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem, & cætera: ac interim fuſam guttam unam aquæ, uel duas, ſeu treis ad ſummum ſuper Patenam, cum dicit Per huius aquæ, & uini myſterium, infundat in calicem proſequendo Orationem uſq; in finem. Tum Diaconus calicem ſuſtinẽs ambabus manibus parùm eleuatis, offerat dicens Offerimus tibi Domine calicem ſalutaris, & cætera, Sacerdote interim ſtãnte manibus iunctis, eumq; in fine Orationis deponat ſuper Corporale ex parte dextra, & cooperiat paruo Corporali plicato dicens In ſpiritu humilitatis, & cætera. Poſteà ſacerdos eleuando ali

quantulùm manus, & iungendo dicat Veni ſanctifi/
cator omnipotens, & cætera: & cum pueneri ad Be
nedic, ſignum crucis faciat ſup hoſtiam, & calicem,
ita ut manum primò ducat ſup hoſtiam in directum:
deinde ſuper utrunq; ex tranſuerſo, & ſic ſemper
fit, cum uterq; ſignatur ſimul. Vbicunq; uerò calix
paretur, hic modus ſemper in eius oblatione ſerue/
tur. Diligenter tamen curandum eſt, ut, ſi altare eſt
portatile, calix, & hoſtia iaceant ſuper lapide conſe
crato. Sacerdos autem, cum poſuerit aquam in ca
licem, tergat Patenam purificatorio, & ponat eam
ſub Corporali iam explicato ex parte dextra: ita ut
Patenæ media pars ſit cooperta, reliqua appareat.
Dum uerò hæc aguntur, Thuribularius paratum thu
ribulum tradat Subdiacono, & Diaconus ſumptum
thus in cocleari cum uaſculo ab Acolytho tradat bñ
dicendum Sacerdoti, qui illud benedicat dicendo
Per interceſſionem beati Michaelis, & cætera, ut in
Miſſali traditur: deinde ponat illud in thuribulum,
quo poſtmodum accepto à Diacono oſculante ipſi/
us manum, adoleat calicem, ut ſupra etiam cap. xx.
dictum eſt: finita uerò thurificatione, reddat illud
Diacono, non tamen thurificando eum: qui Diaco
nus pronius inclinatus, accepta Planctæ extremitate
manu ſiniſtra, incenſet ſacerdotem manu dextra.
Interim Acolythus, qui eſt in dextera, miniſtret ſa
cerdoti aquam, qui digitos lauet, quibus tacturus
eſt corpus Chriſti, dicendo Lauabo inter innocentes
manus meas, uſq; ad finem illius pſalmi, cum Ver/
ſiculo

ſiculo Gloria patri, & Reſponſorio Amén. Ac Diaconus rurſum reddat thuribulum Subdiacono ſine incenſatione: Subdiaconus autem, Diacono incenſato, uadat ad locum corporis Chriſti, ſi illud non erit ſuper altari, niſi tamen nimis ab altari diſtet, & facta conuenienti reuerentia, incenſet illud: poſteà reddat thuribulum Thuribulario, qui ipſum, poſtquàm reuerſus fuerit ad altare, incenſet.

Quando in Miſſa thurificari chorum oporteat: & de celebratione Miſſæ uſque ad canonem Te igitur. Cap. XLII.

ACOLYTHVS autem, incenſato Subdiacono, thurificet chorum, ut ſupius cap. xix. dictum eſt, eáque thurificatio dominicis diebus, & ſemiduplicibus, ac duplicibus feſtis, & ſabbato, quando Miſſa beatæ Virginis celebratur, obſeruetur. Obſeruandum etiam eſt, ut ſemper ante Euangelium, quãdo aliquid communiter à Sacerdote, & Diacono, & Subdiacono dicitur, Diaconus aſſiſtat Sacerdoti à dextris, Subdiaconus à ſiniſtris: è contrario fiat poſt Euangelium, Diaconus à ſiniſtris, & Subdiaconus à dextris aſſiſtat, ſicut antea quoque cap. xxxvii. traditum eſt. Sacerdos uerò poſtquàm abluerit manus, illis iunctis ante pectus, ad medium altaris rediens, inclinet ſe pronius, non ex tranſuerſo, ſed in directum (quod ſemper eſt ſeruãdum in huiuſmodi in-

clinationibus) uerſus medium altaris, & dicat Ora/
tionem Suſcipe ſancta Trinitas: qua finita, erigens
ſe oſculetur altare, & conuerſus ad populum dicat
Orate fratres ita clarè, ut poſſit à miniſtris audiri.
Tum Diaconus trahat caſulam, ut cap. xxxviii.
diximus eſſe faciendum: circunſtātes autem reſpon
deant Suſcipiat Dominus, & cætera: deinde gyran
do ſe ex parte dextra, rursùm uertat ſe ad altare ſa
cerdos, & mediocriter inclinatus dicat etiam ipſe Su
ſcipiat: quo dicto, erigens ſe dicat ſecretam, uel ſe
cretas: cumq; dicit Oremus, iungat manus, ſimili/
ter in fine, ſicut in aliis orationibus: digitis uerò, q/
bus ſacrum corpus eſt tractaturus, folia non uertat,
nec aliud tāgat: ſed ſi aderit Diaconus, is uertat fo
lia. Tempore quoq; muſcaꝝ poſt inceptionem Se/
cretaꝝ, uel etiam ante, ſi neceſſitas expoſcat, debet
Diaconus tenere flabellum, uel aliud, quo eas hone
ſtè à ſacrificio, & à ſacrifico abigat. Cōpletis itaq; ſe
cretis, eleuatis, & extenſis manibus, ut ſuperius eo
dem capitulo præſcriptum eſt, dicat Per omnia ſe
cula ſeculorum: & dum dicit Gratias agamus Domi
no deo noſtro, in ultimo uerbo iungat manus, &
inclinet ſe, ſicut ad Gloria in excelſis deo: quo fa
cto, iterùm eleuatis manibus, ut prius, proſequatur
præfationem: qua finita, iunctis manibus dicat San
ctus cum miniſtris, ipſe mediocriter inclinatus ſupra
altare, & ſignet ſe ſigno crucis ſtans erectus, cum
dicit Benedictus: quod idem faciendum eſt à Cano
nicis in choro, cum dicunt Benedictus, qui uenit,

qui tamen tunc non inclinent, ſed conuertant ſe tantùm ad altare.

Quando, & quomodo Patena à Subdiacono tenenda ſit: & de celebratione Miſſæ uſq; ad calicis eleuationem.

Cap. XLIII.

SI VERO Dominica erit, uel feſtum duplex, aut ſemiduplex, uel Sabbatum, cum celebratur Miſſa beatæ Virginis, dicto Sãctus à Sacerdote, Diaconus Pallam mũdiſsimam imponat ſuper humeros Subdiacono, & acceptam Patenam tradat ei cooperiendo eadem palla, uel alia: qui Subdiaconus manu dextra teneat illam aliquantulùm eleuatam, ita ut à circumſtãtibus poſsit uideri. Cum autem peruentum fuerit ad Pater noſter, detegat eam, & ſic teneat uſq; ad finem. Reſponſo uerò à Conuentu Sed libera nos à malo, accedens ad altare tradat eam Diacono. Cæteris uerò diebus Patena à Subdiacono non teneatur, nec etiam in Miſſa pro defunctis, etiam ſi celebretur duplex, ut in craſtino Omniumſanctorum. Sacerdos uerò poſt Sãctus inclinatus pronius ante altare iũctis manibus dicat Te igitur clementiſsime Pater, & cætera: & dum dicit Vti, oſculetur altare: hinc erigens ſe cum dicit Accepta habeas, & benedicas, eleuet aliquãtulùm manus, deinde iungat, & cum dicit Hæc ✠ dona, faciat unam crucem ſupra hoſtiam ſimul, & calicem

duobus digitis, ita ut index ſit ſup, medius ſubter: cum Hæc ✠ munera, faciat aliam crucem: & cum Hæc ✠ ſancta ſacrificia, faciat aliam crucem: deinde eleuatis, & extenſis manibus, ut ante, proſequatur Canonem uſq; ad Quam oblationem: quo loco ſimiliter eleuatis aliquantulùm altius, & iunctis manibus faciat treis cruces continuas ſupra hoſtiam, & calicem ſimul, dicendo ad primam, Bene ✠ dictam: ad ſecundam, Aſcri ✠ ptam: ad tertiam, Ra ✠ tam: & eleuatis iterùm manibus, dum dicit Rationabilem, acceptabilemq; ac rursùm iunctis, dum dicit Vt nobis, faciat iterùm unam crucem ſupra hoſtiam tantùm dicendo Cor ✠ pus, & aliam ſupra calicem, dicendo Et ſan ✠ guis: & proſequens Fiat, & cætera, iterùm eleuet manus, & iũgat: cum uerò pueneri ad Qui pridie, ductis modicè utriuſque manus digitis police, & indice ſuper Corporale, accipiat hoſtiam ambabus manibus, dicens Accepit panem, & cætera: & parùm eleuans eam, & ſimiliter oculos, dum dicit Eleuatis oculis: ſignet hoſtiam, dum dicit Bene ✠ dixit, manu dextra, qua cæteræ quoq; ſignationes faciendæ ſunt: deinde diſtinctè, & cum reuerentia proferat uerba cõſecrationis HOC EST ENIM CORPVS MEVM: quibus prolatis, & adorato corpore dominico, genu flectendo eleuet illud reuerenter, ita ut à circunſtantibus poſsit uideri, non circunferendo, neq; gyrando illud, niſi fortè populus ex aduerſo eſſet: nec diu teneat eleuatum, ſed ſtatim utraq; manu deponat: quo facto,

 genuflectat,

genufleᶜtat nihil immorando: ſed tamen antequàm proferat uerba conſecrationis, Diaconus à dextris eius, & Subdiaconus à ſiniſtris cum Patena fleᶜtant genua in ſupremo gradu altaris, altero Acolythorum poſt Diaconum, altero poſt Subdiaconum cum cereis accenſis aſsiſtentibus flexis genibus uſq; ad depoſitionem calicis. Thuribularius uerò, parato thuribulo, & uaſculo incenſi ſuper altari, uel ſuper gradu altaris poſito, genua fleᶜtat à dextris Diaconi, & præbeat ei thuribulum: qui Diaconus, cum uiderit ſacerdotem uerba conſecrationis proferentem, imponat incenſum in thuribulum, & accepto illo, thurificet corpus Domini, cum eleuatur: cumq; Sacerdos deponit corpus Chriſti, Diaconus reddat thuribulum Thuribulario, & cum reuerētia detegat calicem ad uinum conſecrandum. Omni autem tempore caueat chorus à nimia protraᶜtione cantus, cum dicit Sanctus: & Sacerdos adeò maturè proſequatur dicēda ante eleuationem corporis Chriſti, ut nunquàm ante ipſa eleuatio fiat, quàm cantus ſit finitus.

Quomodo uinum in ſanguinem conſecrare Sacerdos debeat: & de celebratione Miſſæ uſq; ad Nobis quoq;. Cap. XLIIII.

COLLOCATO itaque corpore Chriſti, ac deinde deteᶜto calice p Diaconum, ſi ſeruit, Sacerdos ambabus manibus accipiat calicem, & parùm eleuet dicēs

Accipiens & hunc præclarum calicem, & cætera: ac iterùm deponat illum ſuper altare, dicens Item tibi gratias agẽs, tenensq́ manu ſiniſtra, ſignet crucem ſupra eum manu dextra dicẽs Bene ✠ dixit. Et itera tò tenens ambabus manibus eius medium dictoq́ prius Accipite, & cætera, pferat uerba cõſecrationis HIC EST ENIM CALIX SANGVINIS MEI NOVI, ET AETERNI TESTAMENTI MIYSTERIVM FIDEI, QVI PRO VOBIS, ET PRO MVLTIS EFFVNDETVR IN REMISSIONEM PECCATORVM: quo dicto, Diaconus cooperiat calicem, & Sacerdos ſe mediocriter inclinans eum ambabus manibus parùm eleuet: deinde erigens ſe, iterùm altius eleuet, ita tamen, ut frontem non excedat pars inferior calicis: & cum dixerit In mei memoriam facietis, reponat eum in locum ſuum: quo facto, reuerenter genua flectat. Interim Diaconus, ut prius, genibus flexis adoleat calicem. Studeat autem Sacerdos ad uerba cõſecrationis habere actualem intentionem, & mentem in præſentia conſecrandi. Completa uerò conſecratione, & adoratione, ut dictum eſt, erigens ſe ſacerdos, eleuet brachia, ut prius, proſequendo Vnde & memores. Et eſt notandum à lotione manuum, quæ fit poſt calicis oblationem, uſq́ ad ultimam purificationem manuum Sacerdotis, iungendum eſſe indicem cum police, præterquàm in ſignationibus, & dum ipſe tãgit corpus Chriſti: ante uerò hanc lotionem, & poſt dictam purificationem, cum eleuat manus, & extẽdit,

ſeparandum

ſeparandum policem à cæteris digitis ſibi inuicem copulatis. Cum uerò peruenerit ad offerimus præclaræ maieſtati tuæ, & cætera, iungat manus Sacerdos; deinde ſignet treis cruces ſupra corpus, & ſanguinem Chriſti, dicẽdo Hoſtiam ✠ puram, hoſtiam ✠ ſanctam, hoſtiam ✠ immaculatam: & duas alias cruces, alteram ſupra hoſtiam dicendo, Panem ✠ ſanctum uitæ æternæ, alteram ſupra calicem dicendo, Et calicem ✠ ſalutis perpetuæ: poſteà eleuatis manibus proſequatur Supra quæ propitio, & cætera: ad Supplices te rogamus quoq; inclinet ſe pronius uſq; dum dicit Vt quot quot: & tunc erigens ſe oſculetur altare iuxta hoſtiam, dum dicit Altaris participatione: deinde eleuatis, ut prius, manibus aliquãtulum, & iũctis, rursùm ducat treis cruces, primam ſupra hoſtiam dicendo Cor ✠ pus: ſecundam ſupra calicem dicendo, Et ſanguinem ✠ ſumpſerimus: tertiam ante ſe dicendo Omni bene ✠ dictione cœleſti, & cætera. Deniq; erectus, & eleuatis manibus, ut ſupra, proſequatur Memento etiam Domine, & cætera.

Quomodo proſequi Miſſam ab oratione Nobis quoq;, uſque ad datam pacem ad altare Sacerdos debeat.

Cap. XLV.

ITEM ad Nobis quoque peccatoribus, tribus digitis ultimis leniter tondat pectus dicendo aliquantulùm clarè Nobis quoq; peccatoribus. In fine uerò

ipſius orationis Nobis quoque, dicat Per Chriſtum dominum noſtrum ſine reſponſione Amén: & ſequatur Per quem hæc omnia, & cætera: quia hoc pendet de fine præcedentis Orationis. Cum autem dicit Per quem, eleuatis, & iũctis manibus, ut ſupra, etiam ſignet treis cruces ſupra hoſtiam, & calicem ſimul, dicendo ad primam, Sancti ✠ ficas: ad ſecundam, Viuifi ✠ cas: ad tertiam, Bene ✠ dicis: & dicto Præſtas nobis, detegat calicem, & mediocriter genu flectens reuerẽter accipiat corpus Domini, & eo ſignet ter ſupra calicem à labio in labium, dicens Per ip ✠ ſum, & cum ip ✠ ſo, & in ip ✠ ſo: ac deinceps eleuatis cum eodem corpore Chriſti digitis ſignet bis inter ſe, & calicem, dicens Eſt tibi deo ✠ patri omnipotenti in unitate Spiritus ✠ ſancti omnis honor, & gloria: quibus finitis: teneat corpus Domini ſupra calicem, & calice parùm ambabus manibus leuato, dicat Per omnia ſecula ſeculorum: dum autem dicit Oremus præceptis, & cætera: reponat hoſtiam in locum ſuum, & calicem: & deductis parùm digitis ſuper calicem (quod ſemper ei faciẽdum eſt, poſtquàm tetigerit corpus Chriſti) cooperiat illum Corporali plicato: cumq; puenerit ad Pater noſter, eleuet manus, & extendat, ut prius, uſq; ad Da propitius pacem. Reſponſo autem à choro Sed libera nos à malo, Sacerdos ſecretò dicat Amèn, & proſequatur Libera nos, & cætera. Tum uerò Subdiaconus tradat Patenam Diacono detectam, qui recipiat eam manu nuda: Sacerdos uerò, cum dicturus eſt Da propitius

pitius pacem, illam accipiat à Diacono oſculante ip/ſius manum, & ſignet ſe eadem ſimpliciter, non tangendo neq; os, neq; oculos. Interim Acolythi complicent reuerenter Mappulam Patenæ, & reponant. Sacerdos autem, cum dixerit Omni perturbatione ſecuri, mittat Patenam ſub hoſtia, & Diaconus de/tegat calicem. Tum Sacerdos mediocriter genu fle ctens acceptam hoſtiam frangat rectà per medium ſupra calicem, & ponat alteram partem eam, quæ eſt in dextera, ſuper Patenam reuerẽter, ſuppoſita ma nu dextra ſub brachio ſiniſtro, quod ſubleuatum cum altera parte in manu ſupra calicem tenebit: hâc uerò ipſam partem, quæ remãſerat in ſiniſtra, rurſùm frangat aliquantùm in obliquum in duas partes inæ/q̃les: at pars, quæ remanet in ſiniſtra, maior ſit, eaq; coniungatur parti, quæ eſt in Patena: alteram uerò partem minorem, quæ eſt in dextra, erectus Sacer/dos teneat ſupra calicem, quo parùm, ut ſupra, ele uato dicat Per omnia ſecula ſeculorum: & iterùm depoſito calice, ter ſignet ſupra calicem crucem ea particula, quam tenet in dextra, ita ut dicendo Pax ✠ Domini, faciat unam crucem: aliam dicendo Sit ✠ ſemper: aliam, dum dicit Vobis ✠ cum: quo fa cto, particulam, quam tenet in dextra, mittat in ſanguinem, dicens Fiat commiſtio, & cætera: dein de cooperto calice à Diacono, miniſtri accedant, & unà cum ipſo dicant Agnus dei ter parùm inclinati, Sacerdote manus interim tenente demiſſas ſuper al/tari: qui poſteà inclinatus pronius ante corpus Chri/

ſti ad medium altaris dicat iunctis manibus Domine IESV Chriſte, & cætera: quo finito, erigat ſe, & oſculetur altare: quod ſemper faciat, niſi cum celebratur pro defunctis: & dans pacem Diacono ipſi tabellam pacis offerenti, dicat Pax tecum: & Diaconus reſpondeat Et cum ſpiritu tuo: ac deinde tradat tabellam oſculãdam Subdiacono, & is deinceps Thuribulario. Deniq; Thuribularius datam prius pacem Ceroferariis, det etiam aſsiſtentibus in choro, hoc modo.

Quando, & quomodo in choro Pax danda ſit: & de celebratione Miſſæ uſq; in finem. Cap. XLVI.

PORRO in feſtis maioribus, & minoribus duplicibus, poſtquàm Acolythis data fuerit pax, Thuribularius ſtatim accedens in chorum det pacem Cantoribus, ſi aderũt apparati: deinde illi choro, ubi fuerit aliquis Maior: poſteà exiſtentibus in alio choro eo planè modo, quo ſupra. Cap. xix. dictum eſt de thurificatione. Hoc etiam ſeruetur dominicis diebus, & in feſtis ſemiduplicibus, & in Octauis ſemiduplicibus ultimo die tantùm, & in Sabbato, quando Miſſa beatæ Virginis celebratur: cæteris autem diebus non detur pax in Miſſa conuentuali. In Miſſis tamen priuatis, & mortuorum nunquàm detur pax, niſi conſuetudo patriæ hoc requirat. Sacerdos igitur, data pace Diacono, rurſùm, ut antea p/

nius ante altare inclinatus dicat iunctis manibus Do/mine IESV Chriſte fili dei uiui, & Præceptio corporis: qbus dictis, erigat ſe, tum mediocriter genu flectat, deinde reuerẽter accipiat Patenam cum corpore Chriſti, dicatq; Panem cœleſtem accipiam, & cætera: poſteà ter Domine non ſum dignus, & cætera: quo etiam dicto, erigens ſe accipiat manu dextra corpus Domini, & tenens illud ſuper Patena, & Patenam ambabus manibus, ſignet crucem utroq; ante ſe dicens Corpus domini noſtri IESV Chriſti, & cætera: poſtmodum rurſum genu flectat Patenam cum corpore Chriſti parùm eleuando, ita ut à circunſtantibus poſſit uideri. Tum demum erigens ſe, deductoq; prius aliquantulùm ore ſuper manum ſiniſtram, ſumat cum reuerentia de manu dextra corpus Domini, ita ut dentibus illud non atterat: quo facto, deducat Patenam ſuper Corporale, & detecto calice reliquias, ſiquæ remanſerint in Patena, in eum indice, uel police deiiciat, depoſitaq; patena iuxta calicem ſuper Corporali in dextra parte, cum reuerentia accipiat calicem dicens Quid retribuam Domino, & cætera. Calicem ſalutaris, & cætera. Laudans inuocabo Dominum, & cætera: deinde ſignans crucem ante ſe calice genu flectat dicendo Sãguis domini noſtri IESV Chriſti, & cætera: poſtmodum erigens ſe ſumat cum reuerentia ſanguinem Domini. Perceptione uerò facta, tenens calicem manu dextra, recipiat parum uini à Subdiacono: quo ſumpto, & depoſito calice ſuper Corporale,

tergat os à ſanguine police, & indice ſimul iunctis: ſimiliter calicem intus, foriſq; , ubi facta fuerit per/ ceptio ſanguinis, dicendo Quod ore ſumpſimus, & cætera: Corpus tuum, & cætera. Interim utraq; manu tenens calicem, & ſupra calicem digitos ſa/ ctos, uadat ad dextrum cornu altaris: ibiq; Subdia conus utranq; ampullam paratam habens, infundat uinum, & aquam ſuper digitos Sacerdotis in calicem, quo poſtmodum depoſito, declinet iterùm ſacerdos ad dextrum cornu altaris ad abluendum digitos in/ fuſos, Subdiacono miniſtrante aquam in uaſculo mundo ad hoc ſolum deputato, & per Acolythum ablutio deferatur in piſcinam, ſi munda erit: dein/ de tergat Sacerdos digitos palla ad hoc ſolum præ parata, quæ ſemper munda ſeruetur. Si uerò piſci/ na non erit munda, uel aliud impedimentum erit, quo talis ablutio fieri commodè non poſsit, Sacer/ dos accepta purificatione ſuper digitos, tergat illos purificatorio calicis, ſumptaq; purificatione declinet calicem ſuper Patenam, & quando ſibi uidebitur, ſu mat id, quod remanſit. Poterit etiam Sacerdos in/ terim dicere pſalmum Nunc dimittis, cum aliqua antiphona, puta O ſacrum conuiuium, uel Salua nos, uel alia, ꝑut deuotio ſubminiſtrauerit. Intereà etiam Diaconus Miſſale deferat ad dextrum cornu altaris: ibiq; Sacerdos lecta Communione cum mi niſtris ordine ſupradicto, reuertatur ad medium al/ taris, & eo oſculato uertat ſe ad populum, & di/ cat Dominus uobiſcum: tum Diaconus trahat ca/

 ſulam,

ſulam, ut prius, & Sacerdos reuerſus ad librum, di
cat ibi omneis Orationes dicendas: ſed dum dicit
ultimum Per dominum noſtrum, ueniat ad medi/
um altaris, oſculatoq́; illo, iterùm ſe uertat ad po/
pulum ad dicẽdum Dominus uobiſcum: quod cum
dixerit, Diaconus ſimiliter ſe uertens, dicat Ite Miſ
ſa eſt, nec tamen iungat manus, quoniam id ſolius
eſt Sacerdotis. Si uerò Ite Miſſa eſt non dicitur,
ipſe Diaconus uerſa facie ad altare, ſacerdote ſimi/
liter uerſo, dicat Benedicamus Domino, uel Re/
quieſcant in pace, ſi celebratur pro defunctis. Sa/
cerdos itaq;, & Diaconus tamdiu uerſi ad Conuen/
tum morentur, donec Ite Miſſa eſt fuerit comple
tum: & ſtatim Sacerdos benedicto populo dicens
In unitate ſancti Spiritus, & cætera: uertat ſe ad al
tare non gyrando ſe, & inclinatus ſecretò dicat Pla
ceat tibi ſancta Trinitas, & cætera: quo finito, eri/
gens ſe oſculetur altare, deinde dicat Euangelium
.s. Ioannis In principio erat uerbum: & cum dicit
Initium ſancti Euangelii faciat unam crucem ſuper
Corporale, cæteras uerò treis prout in aliis Euange
liis. Interim Diaconus tergat calicem, & Sacerdos
complicet Corporale, uel etiam ipſe Diaconus, ſi
commodè poterit. Si uerò Diaconus non ſeruit,
Sacerdos ipſe portet Miſſale à dextro cornu in ſi
niſtrum, cum dicturus eſt Euangelium, illudq́; le/
gat, & cætera faciat per ſe, Acolytho miniſtrante
ſibi neceſſaria. Finito uerò Euãgelio .s. Ioãnis, Sa
cerdos incipiat antiphonam Trium puerorum, ſicut

in Miſſali cõtinetur, & reuertatur cum miniſtris ad ſacrarium eodem ordine, quo uenerunt, hoc exce-pto, quòd Diaconus portabit calicem, & Subdia-conus Miſſale. Tunc ibi miniſtri primò Sacerdo-tem, & poſteà mutuò ſe ipſi adiuuent ad exuẽdum ueſtes, eas modo debito complicãtes: Acolythi ue-rò, antequàm ueſtes deponant, reuertantur ad alta-re cooperientes illud, & aptantes omnia decenter, reportent in ſacrarium, quæ fuerint reportanda; nec, niſi legitima cauſa urgente, è ſacrario recedant miniſtri, donec ea ordinata fuerint, & in debito lo-co collocata.

Quomodo, & à quibus cantari Graduale, Alleluia, Tractum, et Sequentiam oporteat. Cap. XLVII.

SED ENIM diebus ferialibus, quando continget Alleluia cantari, poſtquàm Cantor inceperit Alleluia uſq; ad pun-ctum, ſiue uſque ad duas uirgulas ſi-mul iunctas, Conuentus ſtatim, dimiſſo neumate, proſequatur Verſum; quo completo, rursùm inci-piatur Alleluia à Cantore, & finiatur à Conuentu totum. Cum autem his diebus Tractus cantandus eſt, Cantor incipiens primum Verſum, proſequatur totum cum ſuo choro; alter autem Chorus proſe-quatur ſecundum Verſum; & ſic alternatim, donec compleatur. Graduale cum ſuo Verſu cantetur ab omnibus, Cantore nihilominus ſemper incipiente.

In

In feſtis uerò ſimplicibus Graduale cum ſuo Ver/ſu ſimiliter cãtetur ab omnibus: ſed Alleluia à duo/bus uſq; ad punctum, choro proſequente comple/tionem neumatis: & cantato Verſu ab his duobus, iterùm cantetur Alleluia, ſicut prius. Item domi/nicis diebus, & ſemiduplicibus, & Sabbato, quan/do celebratur Miſſa Dominæ, Graduale ab omni/bus, uno Cantore incipiente, cantetur: uerſus ue/rò Gradualis à duobus. Similiter Alleluia à duo bus cãtetur uſq; ad pũctum, & à Cõuentu denuò in/cipiatur, & cãtetur totum: quod in ſimplici feſto nõ fiat. Cantatoq; Verſu ab illis duobus, incipiatur ite rùm ab ipſis, choro proſequẽte completionem neu matis. Quando uerò Tractum cantari contigerit in feſtis duplicibus, & ſemiduplicibus, & Domini/cis, & Sabbato, quando cantatur Miſſa beatæ Vir ginis, à quatuor, uel à pluribus cantetur, ſed à bi/nis tamen cantentur ſinguli Verſus: in feſtis autem maioribus, uel minoribus duplicibus Graduale inci piatur à duobus, uel à quatuor, & compleatur à choro: uerſus uerò Gradualis, & Alleluia cantetur à quatuor, uel à pluribus, ſi Cantoribus uidebitur expedire, iterato tamen Alleluia à choro, ut in ſe/miduplicibus. Quandò autem Sequentia cantanda eſt, cantato uerſu ipſius Alleluia, & repetito Alle/luia uſq; ad punctum, ſtatim inchoetur Sequentia. Verùm quandò cantantur duo Alleluia, primum totum cantetur cum ſuo uerſu inſtar Gradualis: & non repetatur Alleluia neq; ante uerſum, neq; poſt

uerſum: ſecundum autem Alleluia & ante uerſum, & poſt uerſum repetatur, ſicut ſupradictum eſt: & ad primum Alleluia ſedeāt Canonici, ſicut ad Graduale, & ad Tractum, exceptis cantantibus. Inceptio uerò Officiorum in Miſſa ſemper pertinet ad Cantores, niſi aliis occaſione aliqua iniungatur. Quando autem Cantor, uel Cantores aliquid incipiunt, uel etiam alii Canonici, qui cantant Graduale, uel Alleluia, cantent uſque ad punctum, & chorus reſiduum ꝓſequatur. Similiter quādo duo, uel quatuor, uel plures cantant uerſum Gradualis, uel ipſius Alleluia, uel ultimum uerſum Tractus, poſtquàm cantauerint uſq; ad ultimum punctum, uel uſq; ad duas ultimas uirgulas ſimul iunctas, chorus reſiduum proſequatur.

Quibus horis Miſſæ conuentuales cantandæ ſint.

Cap. XLVIII.

PRAETEREA Dominicis diebus, & feſtis ſolėnibus, quæ ꝓpter præceptum Eccleſiæ, uel patriæ conſuetudinem ſolennizantur à populo, Miſſa conuentualis circa horam tertiam finiatur, niſi habita populi ratione, uel alia cauſa legitima exiſtente, Priori uidebitur aliter eſſe faciēdum: ſed omnibus aliis diebus celebretur dicta Tertia, ſi Tertia ſucceſsiuè dicitur poſt Primam: aliter, dicta Prima, celebretur Miſſa. In Quadrageſima uerò, quándo occurrerit

feſtum

feſtum aliquod, Miſſa feſti cantetur, uel dicatur
hora prædicta: Miſſa autem diei, ideſt feriæ can-
tetur ad Nonam: quod etiam in ieiuniis ſolennibus
ſemper ſeruetur. Sciendum quoq; eſt, per totam
Quadrageſimam, & in ieiuniis ſolennibus Miſſam
cantari, ſeu dici poſſe uſq; ad Nonam, cæteris die-
bus uſq; ad Sextam, niſi fortè aliquando pro præſen
ti defuncto oporteret tardius celebrare, uel frequen
tia populi hoc idem expoſceret. In Miſsis uerò pri
uatis ſeruitor decẽter induat ſacerdotem, & alia cir
ca altare, ut opus eſt, ordinet, ac diſponat: uideat
etiam ne ſuis ueſtibus ſacras ueſtes, uel alia ſacra cir
ca altare irreuerenter contingat: curet etiam, ut ui
num ſit purum, nõ corruptum, nec maculatum: utq;
aqua recens ſit, & munda, ex quibus conficiendum
eſt ſacramẽtum: caueat quoq; diligẽter, ne'ue unum
pro altero miniſtret, ne'ue calicem manu nuda cõ
tingat, niſi fuerit in maioribus ordinibus cõſtitutus:
Epiſtolam ſacerdoti dicẽdam relinquat: parùm, uel
nihil maneat genu flexus in tota Miſſa: ſed oculos,
& mentem intentam habeat ad altare, ut uideat, quæ
fuerint facienda, & audiat, cum ſacerdoti fuerit re
ſpondendum: cum transfert librum, transferat Pari
ter candelam cum libro, niſi ex utraq; parte fuerit
cereus, uel candela: nec trahere, uel aptare Caſulam,
cum opus fuerit, omittat. Sacerdos quoq; in mul
titudine Collectarum, in eligendo hoſtias, in paran
do calicem, & in ſimilibus aſtantes faſtidio non af
ficiat nimium immorando: Sequentias non dicat: in

uoce mediocritatem ſeruet, ne altius inclamãdo conturbet chorum, uel alios celebrantes, ne ue ſummiſſius dicendo, non audiatur: canonem ita ſecretò dicat, ut à circunſtantibus non poſsit intelligi: fluxu narium ueſtes ſacras non deturpet: finita Miſſa, altare dicendo alia officia non occupet, ſed cito recedat, & ueſtes ſacras, in quibus celebrauit, deponat, præſertim ſi eſt in ipſis alius ſacerdos celebraturus: Miſſam diei propriam, uel beatæ Virginis, quam non audierit, poſsit, ſi ipſi placuerit, in Sacrario dicere depoſitis ueſtibus: ſed tunc non dicat Gloria in excelſis, nec Sanctus, nec Agnus dei: deniq; exutus orare poſsit ſecretò, prout Dominus inſpirauerit: caueat tamen à prolixitate, ſi ab aliis expectatur. In itinere uerò, uel aliàs, quando fratres Miſſas audire, uel dicere non ualent, poſsint, ſi uoluerint, Miſſam beatæ Virginis recitare cum Sanctus, & Agnus dei, & Poſtcommunione, ideſt Gratiam tuam, etiam cum Gloria in excelſis deo, ſi illa die erit dicenda. Prouideat autem Sacriſta, ut ſemper, finitis Miſsis, altaria cooperiantur.

Vbi corpus Chriſti ſeruandum ſit: & quomodo communicare fratres noſtri debeant. Cap. XLIX.

VERVM corpus Chriſti per omnia loca noſtra ſuper altari maiore, uel circa altare in ciboriis ſeris firmatis, intra pyxides, uel alia uaſcula argentea, uel

eburnea, uel ex alia materia pretioſa, panno mun
diſsimo inuoluta, paruo hoſtiarum numero uolumus
aſſeruari. Ante diem uerò communionis in Capitu
lo à Præſidēte exhortatio fiat, ut dignè fratres præ
parati ad communionem accedant. Die autem com
munionis Prior, uel Vicarius ante Miſſam cōuentua
lem dicat Miſſam cōmunionis, in qua omnes com
municandi adſint præſentes, & finita Miſſa commu
nicent: aut potius, ſi priori uidebitur, fiat commu
nio in Miſſa conuentuali. Cum igitur hoſtiæ ad
communicādum ſunt præparandæ, Acolythus, uel
Subdiaconus, ſi ſeruit, à Sacriſta, cuius intereſt id
ſcire, requirere debet de numero hoſtiarum, quæ
ſunt in pyxide conſecratæ, & de numero fratrum
communicandorum, & facta collatione, neceſſariæ
tantùm præparentur. Accepta autem communione
à Sacerdote, fratres communicare poterunt: &
tunc, ſi corpus Chriſti non erit ſuper altari in cibo
rio, Sacerdos, uel Diaconus, ſi adeſt, præcedētibus
Ceroferariis, accedat ad locum ipſius Corporis Chri
ſti, & inde deferat illud ad altare in pyxide, ibiq;
deponat: & tunc omnes fratres, præter Sacerdo-
tem celebrantem, qui ſolummodo ſe inclinans ado
ret, flectant genua: & poſt Corporis depoſitionem
ſuper altare Diaconus, ſi illud portauerit, genua &
ipſe flectat ante gradum altaris: quo facto, Sacer
dos uertat ſe ad chorum, & qui ſunt communican
di dicant unà cum eo Confiteor deo: & abſolutione
facta ab eodem Sacerdote dicēte Miſereatur ueſtri,

& cætera : Indulgentiam , & cætera : depoſitaq; Caſu
la , Diaconus , & Subdiaconus , ſi ſeruiunt , ipſi ſimul
cum Ceroferariis , & Thuribulario genua flectentes
in ſupremo gradu altaris , primi communicẽt , & mi
niſtrent uinum aliis , cum primum ipſi communica/
uerint , ordine quo infra dicetur. Si uerò illi non
ſeruiunt , ſtatim , facta confeſsione , & abſolutione ,
ut ſupra dictum eſt , omnes fratres communican/
di , præcedentibus antiquioribus , accedant ad altare
bini , & maneant genibus flexis circa altare in mo/
dum ſemicirculi , incipientes à dextro cornu , & fini
entes in ſiniſtrum , genua tamen flectentes prius bis
in pauimento Eccleſiæ ante altare , tertiò autem in
loco ſuo , ubi habent communicare. Tum uerò ſa
cerdos quiſpiam cota indutus tobaleas ſub mento il
lorum extendat : quo facto , ſacerdos , qui celebra/
uit , accipiens hoſtias conſecratas in Patena , & eam
ambabus manibus tenens , uertat ſe ad fratres com/
municandos , & dicat ter Domine non ſum dignus ,
& cætera : cum quo illi dicant illud idem : deinde
Patenam cum corpore Chriſti ſiniſtra manu ſuſti/
nens , cum hoſtias eſt miniſtraturus , accipiat quanq;
manu dextra , & ſic ſuper Patena tenens tranſeat uſ
que ad fratrem communicandum , & ſic fratres de/
inceps ſuſcipiant corpus Chriſti ab ipſo Sacerdote
interim dicente Corpus domini noſtri IESV Chri/
ſti , & cætera. Caueant autem tam communican/
tes , quàm cæteri à tranſuerſione oculorum , uel ab
inſolita , & indecenti uultus diſpoſitione : ſed cum

debita deuotione, ac reuerentia ſine ulla ſuperſtitio
ne ſuſcipiant illud. Sacerdos uerò primùm mini/
ſtret hoſtias ante in pyxide conſeruatas; deinde re
liquas tum recens cõſecratas. Suſcepto autem à fra
tribus ſacramẽto, ſacerdos, qui ſeruit, exhibeat cui
libet calicem cum uino: quem fratres ſuſcipientes,
ſumant aliquantulum uini, cauentes, ne calicem ma
nu nuda contingant, niſi fuerint in ſacris, ut anteà
dictum eſt, conſtituti. Percepta uerò ab omnibus
cõmunione, & uino ſumpto, ſacerdos, qui celebra/
uit, benedicat illos dicens Pax, & benedictio dei pa
tris omnipotentis, & cætera: quo facto, ſurgãt fra
tres, & Miſſa finiatur: uel potius communio poſt fi
nitam Miſſam, ſi Prælato uidebitur, differatur. Si
autem extranei, etiam ſeculares apud nos communi
care uoluerint, id poſsint etiam ſine ſuorum licentia
Superiorum, prætérquàm in die Paſchæ, aut in Cœ
na Domini, cum ſolenniter in ſua quiq; parochiali
Eccleſia communicare debẽt: & dummodo aliquod
canonicum, & legitima cauſa non obſiſtat, iuxta Pri
uilegium à ſanctiſsimo fe. re. domino noſtro Iulio
ſecundo Papa ordini noſtro conceſſum. Cauẽdum
eſt autem fratribus, ne poſt communionem citò ſpu
ant: quod ſi cauere omnino non poſſunt, in loco ho
neſto ſpuant. Et ſi fratres die præſcripto commu/
nicare non poſſunt, die altero proximè ſequenti,
uel tertio, quando melius poterunt, communicent.
Poſtquàm autem quiſq; fratrum communicauerit,
poterit ipſe, dum alii cõmunicant, uel poſteà, ſi tem/

pus ſupererit, orare ſecretò. Qui autem non communicant, & ſunt præſentes, maneāt genibus flexis, donec fratres communicauerint. Si uerò intra communionem uiderit ſacerdos nimiam multitudinem hoſtiarum fuiſſe conſecratam, binas dare ſingulis fratribus poterit, ne nimium earum oporteat reſeruare: quæ autem remāſerint, ipſemet ſacerdos eas à ſe in pyxide repoſitas, uel Diaconus, ad locum ſuum eodem ordine, quo ante fuerunt ad altare portatæ, reportet. At uerò fratres, qui tum extra monaſterium, & locum communionis reperiuntur, debent, uel foris, ſi commoditas tulerit, uel in monaſterio, cum redierint, quàm citius poterunt communicare. Sacriſta uerò ſemel ſaltem in menſe hoſtias è mundiſsimo innouet grano, ne ex nimia uetuſtate poſsit in ſacramento aliquid indecēs exoriri.

De reuerentia exhibenda Epiſcopis, & Cardinalibus in Miſſa conuentuali, uel priuata aſsiſtētibus. Cap. L.

AD HAEC ſi Epiſcopus, uel Cardinalis intereſt Miſſæ conuentuali, uel priuatæ, inuitandus eſt à Priore, uel à Cantore ad faciēdam confeſsionem in principio Miſſæ: quod ſi facere uoluerit, ſacerdos Miſſam celebraturus dicat ante altare uerſiculū Introibo ad altare dei, & cætera: & pſalmum Iudica me deus cum Gloria patri: deinde Epiſcopo, uel Car-

dinali

dinali Adiutorium noſtrum, & Confeſsionem, ac
Abſolutionem dicendam relinquat: quibus dictis,
ſacerdos ſubiungat Verſiculum Deus tu cōuerſus,
& Oſtende nobis Domine, & cætera: deinde pro-
cedat more ſolito in Miſſa. Petendæ ſunt etiam ab
Epiſcopo benedictiones ante Euangelium, & bene
dictiones, ac infuſiones thuris deferendi ad Euan-
gelium legendum, & aquæ miſcendæ ſunt uino.
Lecto autem Euangelio, offerendum eſt ei primò
librum ad Euangelium oſculandum. Poſt aſperſio
nem etiam altaris aquæ benedictæ, aſpergillum cum
oſculatione manus offerendum eſt ei ad aſpergen-
dum ſe, & circunſtantes. Primus eſt etiam thurifi-
candus Epiſcopus, & offerenda eſt ei Pax in Miſ-
ſa à Diacono, ſi ſeruit: alioquin à Miniſtro. In fi
ne quoq; Miſſæ inuitandus eſt ad dandam benedi
ctionem. Si autem Cardinalis non Epiſcopus, nec
presbyter, nec Diaconus: ſeu Legatus non Epiſco
pus, nec Cardinalis intereſt Miſſæ, quæratur cōſue
tudo eius, & ſeruetur.

Quomodo ſeruire Epiſcopis, & Cardinalibus Miſſam celebrantibus miniſtri debeant. Cap. LI.

DENIQVE quādo Epiſcopus, uel Preſ
byter Cardinalis Miſſam ſolenniter
in ſua Eccleſia, uel diœceſi celebratu
rus eſt, miniſtri debent illi cum reue
rentia, & deuotione ſeruire. In primis igitur poſt-
quam Tertiam dixerit, uel dum in Choro ipſa Ter

tia, uel aliæ Horæ tempori conuenientes dicuntur, Epiſcopus ſedet, & incipit ſub antiphona Ne remi niſcaris pſalmos ſuos, ideſt Quàm dilecta taberna/cula tua, Benedixiſti Domine terram tuam, Inclina Domine aurem tuam, Credidi ꝓpter quod, & De profundis clamaui, cum ſuis ſimul alternatim legen tibus. Ac miniſtri omnes Epiſcopo adeſſe debent, ideſt Archidiaconus à dextris, & alius Diaconus à ſiniſtris Dalmaticis apparati, quorum officium eſt Archidiaconi quidem Epiſcopo pileum, ac mitram imponere, pileum etiam detrahere, & eo Epiſcopi capillos complanare, Diaconi autem à ſiniſtris mi/tram detrahere: utriuſq; etiam eſt Epiſcopum, dum is ad Miſſam apparatur, adiuuare. Item Diaconus, & Subdiaconus Miſſæ ſuis paramentis omnibus in/duti, excepto Manipulo, & Planeta complicata, ſi ea utenda eſt, quæ illi poſteà ſuo loco, ut infra di/cetur, accipiunt. Tum qui uocatur Aſſiſtens Su/perpellicco, ac Pluuiali indutus: cuius eſt Miſſale Epiſcopo miniſtrare: Orationes, & alia, quæ dicen da ſunt, inuenire, & digito oſtendere: cum etiam, quid dicturus ſit, clàm monere, ac ei ſemper ad al tare in exteriore parte aſsiſtere. Deinde tres Capel lani Pluuialibus induti, quorum unus librum, dum Epiſcopus aliquid in ſede dicturus eſt, ſupra caput ſuſtinet: alter baculum paſtorale miniſtrat, tertius candelam accenſam, cum opus eſt, exhibet. Præte/reà alii Superpelliceis tantùm induti, quorum unus Mappam prælongam è collo ante pectus dependen/

tem

tem gerẽs Mitram manibus eadem Mappa intectis ſuſtinet, ac miniſtrat: alii in aliis uſibus ſeruiũt. Poſtremò Thuriferarius, & duo Acolythi ceroferarii Superpelliceis & ipſi apparati. Ac primum ad Epiſcopum apparandum Subdiaconus ambabus manibus uſq; ad faciem eleuatis caligas, & ſandalia uelo intecta affert. Tum Capellani genu flexi fimbrias capæ Epiſcopi circumcirca ſuſtinent, & ſubtus ſimiliter genuflexus unus aliquis ex cubiculariis Epiſcopi ei quotidiana calceamenta detrahit, & caligas, ac ſandalia imponit à dextro pede incipiens, adiuuante Subdiacono, qui ea attulit. Interim finitis pſalmis, & antiphona antedictis, & caligis, ac ſandaliis indutis, Epiſcopus detecto capite ſtans ad altare conuerſus dicit Orationes poſt pſalmos dicendas, quibus abſolutis, exuitur Capa à Clericis ſuis dicẽs Exue me Domine, & cætera: deinde ſedet manus locturus: Et qui dignior inter miniſtros laicos eſt, affert in dextra manu gutturnium cum aqua in eo, & mantili deſuper plicato, ac ſiniſtra peluim: & Archidiaconus anulos Epiſcopo detrahit, ac ſeruat. Interim duo ex Capellanis mantile de gutturnio ſumptum explicant, & hinc, atq; hinc genu flexi ad Epiſcopi genua extenſum ſuſtinent. Tum aquam, qui attulit, genibus & ipſe ante Epiſcopum flexis è gutturnio in peluim infundit, Aſsiſtente etiam manus ad peluim apponẽte: & Epiſcopus manus lauat, ac eodem mantili Aſsiſtente quoq; porrigente abſtergit dicens Da Domine uirtutem, & cætera. Tum Epi/

ſcopus ſurgit, & Capellani paramenta ordine exhi/
bent Amictum, Albam, Cingulum, Crucem pecto/
ralem, Stolam, Tunicellam, Dalmaticam, Chiro/
thecas, Planetam, Pallium cum acubus, ſeu ſpinu/
lis (ſi pallio uti poſsit, & utendum ſit) Mitram,
Anulum pontificalem, & Gremiale: & Diaconus
Euãgelii ea deinceps de Capellanorum manibus acci
pit: & ſubinde Archidiaconus à dextris, & alter il/
le à ſiniſtris Epiſcopum induunt. Ac primum uter/
que à parte ſua apprehenſum Amictum ei prius oſ/
culandum offerunt, deinde capiti imponunt: tum
Amicti ligulas, ſeu chordulas de Epiſcopi manibus
ex tranſuerſo in pectore inſtar crucis cancellatas ac/
cipiunt, & eas poſt tergum ducentes, ac ſibi inuicem
porrigentes ad anteriorem partem reducunt, & Epi
ſcopum ligant interim dicentem Pone Domine ga/
leam, & cætera. Poſtmodum unus ex Capellanis aſ/
fert Albam explicatam ambabus manibus ſuſtinens
ita ut eius capitium uergat ad afferentem, ad Epi/
ſcopum fimbriæ, quibus apprehenſis eam eidem im
ponunt, ac diligenter circa collum, & manicas, atq;
humeros aptant intereà dicenti Dealba me Domi/
ne, & cætera. Eodem modo Cingulum accipiũt, &
à tergo ducentes Epiſcopum cingũt, & anterius me/
dium ligãt, ſubducuntq; circumcirca Albam, ita ut
decenter dependeat, tegat ueſtes, & æqualiter flu/
at, Epiſcopo dicẽte Præcinge me Domine, & cæte
ra. Poſteà Diaconus euangelii acceptam Crucem
pectoralem Epiſcopo oſculandam præbet, deinde

a collo

collo imponit, ita ut recta ante pectus dependeat,
eo ſic orante Munire digneris me Domine, & cæ-
tera. Tum acceptam circa medium Stolam Epiſco
po ſimiliter oſculandam porrigit, deinde collo im-
mittit, itaq; accommodat, ut ante pectus utrinque
æqualiter fluat, non illa quidem ex tranſuerſo inſtar
crucis cancellata, ſed rectè ex humeris dependens,
nec collum à tergo cōtingat, ſed aliquantùm in me-
dio retrorſum fluat, Epiſcopo ſic precante Redde
mihi Domine, & cætera. Dehinc Tunicella ſimili-
ter ut Alba affertur, imponitur, ac diligenter aptá
tur, Epiſcopo dicente Tunica iocunditatis, & cætê
ra: eodem quoq; modo Dalmatica, illo dicente In-
due me Domine, & cætera. Poſt hæc ſedet Epiſco
pus, & Diaconus Euangelii à dextris, & alter ille
à ſiniſtris Chirothecas Epiſcopo ille dextram, hic ſi
niſtram induūt, manus prius deoſculati, illo interim
dicente Circunda Domine, & cætera. Hinc ſurgit
Epiſcopus, & ei Planetam eodem modo imponunt,
& uterq; à latere ſuo aptātes à brachiis ad humeros
complicant, & reducunt, ne brachia celebranti ullò
modo impediat, Epiſcopo, dum id faciunt, precan
te Domine, qui dixiſti, & cætera. Poſteà ſi Archie
piſcopus, uel Hoſtienſis Epiſcopus, uel Patriarcha
is fuerit, affertur ſtatim Pallium (ſi Pallio eo die
utendum eſt) complicatum, & uelo coopertum ab
uno ex Capellanis, illud ambabus manibus eleua-
tum ſuſtinēte, quod Diaconus ſiniſtra manu ad dex
tram ipſius Pallii crucem, dexterà uerò ad ſiniſtram

crucem apprehendens, crucem, quæ in medio eſt, Epiſcopo præbet oſculandam: tum Subdiaconus ſiniſtram Pallii partem apprehendens, & Diaconus ſimiliter partem dextram manu dextra retinens, & poſteriorem partem ſiniſtra aptè eleuans Pallium ambo Epiſcopo ſuper humeros imponunt, ita ut pars Pallii dupla ſuper ſiniſtrum Epiſcopi humerum collocetur: & Diaconus Pallium diligẽter aptat, & componit, ut humeros æqualiter ambiat, & brachia in eleuatione non impediat: poſtmodum allatas ab alio Capellano tres ſpinulas gemmatas infigit, unam, & præcipuam quidem, cruci anteriori ſuper pectus, alteram cruci ſuper ſiniſtrum humerum, tertiam cruci poſteriori. Porrò ita ſpinulæ infigendæ ſunt, ut per cruces ter ſingulæ tranſeant, nec Pallium perforent, nec earum acies Planetam ullo modo diſtringat: utq; gemma, quæ à capite ſpinulæ eſt, à dextra infigentis parte exiſtat. Aptato Pallio, aptatur rurſus & Planeta circa brachia, eaq; ad collum antè, retroq; extrahitur: tum Amictum è capite Epiſcopi deducitur, & decenter circa collum eius pannus intra Planetam demittitur, orificio extra in circuitu capitii Planetæ remanente anſa, & nodulo, ne dimoueri poſsit, religato. Tunc ſedet Epiſcopus, & Capellanus adeſt Superpelliceo indutus, qui Mappam ſericam prælongam (ut initio dictum eſt) à collo gerẽs ante pectus hinc, atq; hinc depẽdentem, manibus Mappæ extremitatibus intectis Mitram utrinq; rectam ſuſtinet Epiſcopo imponendam. Diaconus

 igitur

igitur acceptam ambabus manibus ipſam Mitram de manibus Capellani utrinq; premendo aperit, & Epiſcopo ſedenti uſq; ad frontem, quantùm decet, immittit, Diacono altero, qui à ſiniſtris eſt, pẽdentes Mitræ uittas, ut commodius imponatur, eleuate, & leniter à tergo demittente, ita ut recta Mitra permaneat haud nimiò nec inferius, nec ſuperius collocata, & Epiſcopus interim dicit Mitram Domine, & cætera. Affertur deinde Anulus põtificalis, quem ipſe Aſsiſtens anulari digito dextræ Epiſcopi imponit, oſculata prius illius manu dicentis Cordis, & corporis mei Domine, & cætera. Poſtremò Gremiale ſuper Epiſcopi gremium imponitur, qui pro Manipulo, quem poſteà accepturus eſt ad altare, dicit Merear precor Domine, & cætera. Tum apparato Epiſcopo, Diaconus, & Subdiaconus ipſi ſibi Manipulos ſuos, & Planetas ante pectus plicatas (ſi iis utẽdum eſt) imponunt. Deinde duo Acolythi ceroferarii ſumunt candelabra cum cereis accenſis, & alius Thuriferarius thuribulum dextra manu, & ſiniſtra nauiculam incenſi, quam tum Aſsiſtens ab eo acceptam ad Epiſcopi dextram aperit, & coclear thure implet: Thuriferarius uerò cum thuribulo, & cum carbonibus in thuribulo incẽſis ad Epiſcopum accedit, & per mediam catenulam dextra manu ſupera thuribuli parte eleuata, & ſupera illius catenulæ parte ſibi ſuper ſiniſtro brachio repoſita, & per alias catenulas inter thuribuli aperturam eadem manu apprehenſum thuribulum ip-

ſum

ſum ſiniſtra manu per anulum catenularum ſuſti/
nens genu flexus offert Epiſcopo, & Aſsiſtens ſi/
militer Nauiculam (ut ante dictum eſt) paratam,
inclinato capite, & oſculato prius cocleari, exhibet
dicens Benedicite pater reuerende: & Epiſcopus ac/
cepto cocleari è Nauicula in thuribuli prunas ter po
nit incenſum interim dicens Ab illo benedicaris, &
cætera: tum reponit coclear in Nauiculam, & Aſsi/
ſtens oſculatur Epiſcopo manum, quod idem facit
quoties thus imponitur, & aliquid uel dat Epiſco/
po, uel ipſe ab Epiſcopo accipit: ac poſtmodum
Epiſcopus crucis ſignum ſupra incenſum thuribulo
impoſitum ꝑducit: & tũc Aſsiſtẽs Nauiculam Thu
riferario reſtituit, & is thuribulum claudit, ac ſuſti
net. Tum demum Epiſcopus procedẽdo cum aliis
ad altare hoc ordine accedit Primùm Thuriferarius
cum thuribulo fumigãte præcedit, quem ſequuntur
duo Ceroferarii cum candelabris, & luminaribus, ut
ſupra, accẽſis, inter quos medius incedit qui defert
crucem, quæ tamen non defertur, niſi pontifex ce
lebraturus Archiepiſcopus, uel maior ſit. Poſt hos
pergit Subdiaconus librum euangeliorum ante pe/
ctus clauſum, & in eo Epiſcopi Manipulum repoſi
tum deferẽs: deinde Diaconus Miſſale eodem mo
do ferens, & Aſliſtens unà: ultimo loco ipſe domi
nus Epiſcopus ſiniſtra manu (ſi in ſua Eccleſia, uel
diœceſi eſt) baculum paſtorale geſtans, & iuxta ſe
habens Archidiaconum à dextris, & alterum illum
Diaconum à ſiniſtris deducẽtes ipm tanquàm ſpon

ſum

ſum procedētem de thalamo ſuo. Qui autem Epiſcopo eſt à Mitra, eum ponè ſeqtur cum aliis Capellanis, et clericis. Sin autem Epiſcopus extra Eccleſiam, uel diœceſim ſuam celebraturus eſt, ipſe iuxta altare in Faldiſtorio (ut uulgò loquuntur) apparatur, & huiuſmodi proceſsio omittitur. Cumq; Epiſcopus ad gradus altaris peruenerit, ibi conſiſtit, & Diaconus detractam ei Mitram Capellano mitrario ſeruādam tradit: dehinc pileum Epiſcopo detrahit, atq; eo capillos illius dextra (ſi opus eſt) complanat: & tum omnes pro Confenſione cum Epiſcopo dicenda ſe ritè ordināt, atq; diſponunt hoc modo. A' dextris Epiſcopi adeſt Aſsiſtens, à ſiniſtris Diaconus euangelii, ad ſiniſtram Diaconi Subdiaconus, q aliquantulùm poſt Diaconum genu flectit ad Confeſsionem: Archidiaconus autem, & ille alter à ſiniſtris poſt Epiſcopum aſsiſtūt: itaq; Epiſcopus exhibita reuerentia cum prona capitis inclinatione ante altare, erigit ſe, & cum miniſtris Confeſsionem facit. Interim à choro Introitus cantatur, & Subdiaconus, cum Epiſcopus dicit Indulgētiam, eductum è libro Manipulum Epiſcopo imponit, oſculata prius ſiniſtra illius manu: deinde præaſcendens ad altare in dextro cornu cum aperto præ manibus libro Epiſcopum expectat: qui peracta Confeſsione, & dictis Orationibus conſuetis, aſcēdit ad altare, quo ad medium exoſculato ad Subdiaconum conuerſus etiam euangeliorum librum exoſculatur: quem poſtmodum Subdiaconus clauſum uni ex miniſtris

tradit reponendum. Deinde ſe Epiſcopus in cornu Epiſtolæ uertit, ibiq; in thuribulum à Thuriferario oblatum incenſum è Nauicula ab ipſo Diacono ob/lata (eam enim ſemp ad altare miniſtrat Diaconus, non Aſsiſtens) ſumptum imponit. Tum Diaconus reddita Thuriferario Nauicula, acceptum ab eo thu ribulum Epiſcopo tradit, qui Archidiacono à dex/tris, & altero illo à ſiniſtris aſsiſtentibus, & appre/henſam utrinq; Planetam ſub dextro Epiſcopi bra chio, dum ille incēſat, ſuſtinentibus, altare hoc mo do incenſat. Primùm uel cruci, uel imagini in medio altaris poſitæ reuerentiam exhibet: deinde ipſam crucem, uel imaginem incenſat ter illi thuri bulum ducens: tum proximam imaginem, uel reli quias à dextris illius mediæ poſitas incenſat bis il lis thuribulum ducēs: & exhibita ipſi cruci, uel ima gini in medio poſitæ reuerētia, eodem modo incen ſat imaginem, uel reliquias ad ſiniſtram illius poſi tas. Tum proſequitur ad cornu Epiſtolæ reliquias, ſeu imagines ſuper ipſo altari uerſus illud cornu po ſitas incenſando, ter tantùm per totam illam altaris partem thuribulum ducens: deinde manus declinās extremum idem cornu inferius incēſat, bis ibidem thuribulum ducens. Tum eleuato thuribulo uerſus Euangelii cornu reuertitur, continuè anteriorem al taris partem uſq; ad medium incenſando, ubi exhi bita iterum cruci, uel imagini mediæ reuerentia, reliquias, ſeu imagines ſuper altari uerſus Euange lii cornu poſitas incenſat, ter eodem modo illis thu

ribulum

tribulum ducẽs: deinde etiam manus declinans extre mum idem cornu inferius incẽſat, bis etiam ibidem thuribulum ducens. Rursùs manibus eleuatis ad ex/ tremum uſq; cornu Epiſtolæ reuertitur, anteriorem altaris partem ſimiliter incenſando: pertranſeundo tamen crucem, ſeu imaginem mediam, illi reueren tiam exhibet. Altari ſic incenſato, Epiſcopus in eo Epiſtolæ cornu Diacono thuribulum reddit, & Ar chidiaconus Mitram Epiſcopo imponit: quod mu/ nus tamen unus aliquis ex Capellanis exequitur, ſi Epiſcopus extra ſuam Eccleſiam, uel diœceſim rem diuinam facit. Diaconus uerò Euangelii ſe pronius inclinat, ac ſubinde erectus Epiſcopum incenſat, ter ei thuribulum ducens, quod poſteà Thuriferario re ſtituit. Tum Archidiaconus Epiſcopum per dex/ trum brachium, & alter ille à ſiniſtris per ſiniſtrum modeſtè ſuſcipiunt, qui Epiſcopus eo modo ab iis deductus primum ad altaris medium redit, ibiq; cum Mitra capite inclinando reuerentiam exhibet, dein de ad ſedem ſuam ſecedit, & ibi, depoſita prius Mi tra, legit cum miniſtris Introitum de libro, quem unus ex Capellanis (ut initio dictum eſt) ſupra ca/ put interim ſuſtentat: alius etiam candelam exhibet, Aſsiſtente locos in libro inueniente, ac police Epi/ ſcopo demonſtrante. Deinde dicto Introitu, & ky/ rieeleiſon ſedet Epiſcopus, & Archidiaconus cum il lo altero à ſiniſtris Mitram ei, & Gremiale imponit: miniſtri etiam omnes ſedent, & Aſsiſtens prope Epi ſcopum ad eius dexteram. Diaconus tamen, & Sub/

diaconus ad altare remanent, ibi'qꝫ cum tempus eſt, ille in ſuperiore, hic in inferiore ſecundo altaris gradu reſident. Vbi autem Kyrie eleiſon à choro fuerit decantatum, ſurgunt omnes miniſtri, ac primus Diaconus ille à ſiniſtris, qui Gremiale Epiſcopo aufert, & uni ex miniſtris tradit: tum Mitram etiam detrahit, & Capellano (q ſemper iuxta Epiſcopum adeſſe ad hoc miniſterium debet) ſeruandam reddit: dehinc Planetam, ac Pallium (ſi Pallio Epiſcopus utitur) accommodat. Inde Archidiaconus detracto Epiſcopo pileo, & complanatis de more capillis, dextram eius manum, & ille alter à ſiniſtris ſiniſtram apprehendentes, illum (quod ſemper faciunt) cum ſurgit adiuuant. Epiſcopus autem ad altare conuerſus, eleuatis manibus iuxta altitudinem humerorum, extenſis'qꝫ digitis, licet iis non ſeiunctis, dicit (ſi dicẽdum eſt) Gloria in excelſis deo: cum'qꝫ dicit Deo, iungat manus ante pectus, deinde legendo cum miniſtris totum ipſum hymnum proſequitur: poſteà ſedet, & Mitra, ac Gremiale illi imponitur, & tum reliqui omnes ſimul ſedent. Cantato à Choro Gloria, Diaconus ille à ſiniſtris Gremiale, ac Mitram Epiſcopo aufert, ut antè, qui tum ſurgit, & ad populum conuerſus, eleuatis (ut ſupra) manibus dicit Pax uobis, uel Dominus uobiſcum, ut tempus poſtulat, & in fine iungit manus ante pectus, cui reſpondetur Et cum ſpiritu tuo. Tum ad Crucem in altari poſitam cõuerſus ſuas Orationes dicit, placidè, ac diſtinctè cantando: quibus dictis, ſedet, ac

Mitram

Mitram accipit, & Gremiale, poſt quem alii quoq;
omnes ſedent. Subdiaconus autem cum peruentum
eſt ad Per dominum noſtrum IESVM Chriſtum ul
timæ Orationis, ſumpto ante pectus Epiſtolarum li
bro, & exhibita altari reuerentia, genu terram attin
gens ad conſuetum locum procedit, uno Acolytho
rum ipſum deducẽte, & ibi Epiſtolam cantat: quâ
finita, rurſus genu flectit ad altare cõuerſus, & clau
ſum librum eodem, quo attulit, modo reportat:
cum'q; ad Epiſcopum peruenit, ad eius genua librum
genibus flexis apponit, ſuper quem Epiſcopus dex
tram imponit, quam ipſe Subdiaconus oſculatur,
& ab Epiſcopo benedicitur, ac deinde ſurgens re/
dit ad altare, & ibi expectat, dum ad Euangelium
dicendum eundum erit. Interim duo Capellani al
ter cum libro, alter cum candela accenſa ad Epiſco
pum accedunt, & is cum Mitra ſedens de libro le
git Epiſtolam, Gradualia, & cætera uſq; ad Euãge
lium incluſiuè, dicẽs etiam ſecretò ante ipſum Euan
gelium Munda cor meum, & cætera. Quòd ſi Epi
ſcopus tum extra Eccleſiam ſuam erit, Subdiaconus
illi, oſculata (ut ſupra) manu, apertum librum exhi
bet, unde ea, quæ antè diximus, legit: ac omnes
interim ſedent. Dum uerò cantatur Alleluia, uel
Tractus pro tempore, Diaconus tempeſtiuè ſurgit,
& accepto Euangeliorum libro ante pectus, ut an/
teà Epiſtolarium Subdiaconus, & ſe, prius ante Epi
ſcopum inclinãs accedit ad altare, ei reuerẽtiam exhi
bet, & in medio librum reponit: tum, exhibita ibi

iterùm reuerentia, ad Epiſcopum accedit, & manu eius reuerenter oſculata, ad altare redit, ibiq; in inferiore gradu flexis genibus dicit ſecretò Munda cor meum, & cætera: quo dicto, & rursùm libro (ut ante) ſumpto, ad altare in Epiſtolæ cornu expectat: Interim Ceroferarii cereos capiunt, & Thuriferarius Epiſcopo thuribulum exhibet, ut thus imponat: quo facto, & cæteris de more peractis, Diaconus uno Acolythorum comitatus ad ſedis Epiſcopi gradum accedit, & ibidem ante eum inclinatus benedictionem petit dicēs Iube domine bn̄dicere: quem ille benedicit dicens Dominus ſit in corde tuo, & cætera: & in fine ſuper eum crucis ſignum producit. Deinde Diaconus ad Euangelium dicēdum cum aliis ſuo ordine procedit: cumq; ipſe incipit Euangelium, Epiſcopus, detractis ſibi (ut antè) Gremiali, ac Mitra, aſſurgit, & manibus iunctis ad Euangelium conuerſus, donec id completum fuerit, permanet: quæ tamen paulo aliter (ſi Epiſcopus in ſua Eccleſia non fuerit) peraguntur. Dicto Euangelio, Subdiaconus acceptum librum ad Epiſcopum eodem ordine affert, & Euangelii locum ad oſculandum apertum exhibet: deinde Aſsiſtens accepto à Thuriferario thuribulo Epiſcopum incenſat etiam tum ſine Mitra ſtantem: qui tamen, ſi extra Eccleſiam ſuam fuerit, à Diacono, non ab Aſsiſtente incenſatur. Tum uerò ſi prædicare uolet Epiſcopus, ipſe prius detecto capite, & inclinato ante altare aliquantiſper oret, deinde recepta in capite Mitra, ad

 pulpitum

pulpitum procedit, quod cum aſcenderit, ter prius faciendo crucem ſignet populum, quàm dicere incipiat. Finita uerò ab Epiſcopo concione, Diaconus facit Confeſsionem: alioquin ſi concio non habetur, Epiſcopus ſtatim oſculatus Euangeliorum librum, & idem per Aſsiſtentem incenſatus ad altare conuertitur, & dicit Credo in unum deum, quod totum poſteà cum miniſtris ſubmiſſa uoce complet. Quod ſi Credo non eſt dicendum ad populum conuerſus Epiſcopus eleuatis manibus dicit Dominus uobiſcum: deinde uerſus ad altare dicit Oremus, & Offertorium legit. Interim, dicto à choro Et homo factus eſt, Diaconus de menſa haud procul ab altari ad huiuſmodi præparata, acceptum Corporale, & Burſam ſine Palla, quam ibi ſupra calicem poſitam relinquit, eleuatis uſq; ad oculos manibus deferens, Epiſcopo primùm reuerētiam exhibet, tum uadit ad altare, ante quod inclinatus reuerentiam ſimiliter exhibet, ac poſteà aſcēdit, Corporale è Burſa extrahit, & in medio altari extendit, Burſam uerò ibidem ſuo loco reponit, deinde exhibita rursùs ante altare reuerentia, ad locum ſuum redit, ac ſedet. Porrò dicto Offertorio, ſedet Epiſcopus, & impoſita (ut ſupra) ſibi Mitra, anulisq;, & Chirothecis extractis, manus abluit. Subdiaconus uerò dum Epiſcopus manus abſtergit, ad menſam accedit, ibiq; uelum ei ad collum imponitur à ſcapulis per brachia extenſum, cuius extrema pars à dextra demiſſa manum exuperat: & is calici Patenam ſuperimponit

imponit, & Patenæ duas hoſtias mundas, eáq; pal/
la ſerica contegit. Tum calicem ipſum eo modo
paratum dextra ſumptum etiam extremitate illa ue
li manum exuperãte operit, & cum eo ad altare ꝓ/
ficiſcitur uno Acolytho, qui ampullas uini, & aquæ
pro ſacramento conficiendo fert, retrò ſequente.
Epiſcopus autem abſterſis manibus, reſumptóq; anu
lo pontificali, & ſiquos alios uoluerit, ſurgens cum
Mitra medius inter Archidiaconum, & alterum il/
lum à ſiniſtris ad altare procedit, ibíq; ſibi Mitra
per Diaconum ab Euangelio detracta, ante gradus
reuerentiam exhibet altari: deinde Archidiacono,
& altero illo à ſiniſtris ipſum utrinq; ſubleuantibus
ad altare aſcendit, illúdq; in medio oſculatur, &
per Aſsiſtentem omnia ei, quæ dicenda ſunt, in li/
bro digito demonſtrantur. Subdiaconus autem al/
latum (ut ſupra) calicem Diacono ad altare offert,
qui eum detegit, & acceptam Patenam cum altera ex
hoſtiis (altera enim ipſam Patenam, & calicem in/
tus, extráq; circum oras tangit, eámq; Subdiaco/
no, uel Sacriſtæ præguſtandam præbet) Epiſcopo
offert, eius manum deoſculatus, & cum eo dicens,
quæ dicenda ſunt. Deinde Diaconus uinum in ca
licem, quanto opus eſt, infundit Acolytho am/
pullam exhibente: calicémq;, poſtquàm Subdiaco/
nus paululum aquæ in eo miſcuerit, Epiſcopo præ
bet, quem ambo poſteà tenentes, ac offerẽtes unà
dicunt Offerimus tibi Domine, & cætera: & in fine
Epiſcopus ipſo calice crucis ſignum facit, eúmq; ſu/

per medium Corporale poſt hoſtiam ſiſtit, ita ut hoſtia inter ipſum celebrantem, & calicem exiſtat: & Diaconus quamprimum calicem Palla tegit, deinde Subdiacono in dextra manu extrema illa ueli parte exuperante intecta Patenam tradit, qui poſt Epiſcopum, & Diaconum modico interuallo inſiſtens, eam eiuſdem ueli capite coopertam ferè uſq; ad finem Pater noſter eleuando ſuſtinet. Interim Epiſcopus proſequitur Orationes: tum ei offertur thuribulum, atq; Diacono Nauiculam miniſtrante, thure impoſito, miniſtriſq́; (ut ſupra) aſsiſtẽtibus, fit incẽſatio, ut in Ordinario traditum eſt. Peracta incenſatione Epiſcopus in cornu Epiſtolæ thuribulum Diacono reddit, dicens Accendat Dominus in nobis, & cætera: à quo & ipſe ibidem, impoſita tamen prius ſibi ab Archidiacono Mitra, incẽſatur. Tum uerò ab eodem Diacono alii Aſtãtes (ſiqui adſunt) Prælati, Magiſtratus, Primores, Canonici, & qui Beneficiati uulgò dicuntur, deinceps incenſantur: alioquin, incẽſato Epiſcopo, thuribulum Diaconus Thuriferario reddit. Hinc uerò Epiſcopus eodem in loco cum Mitra cõſiſtens manus abluit, & abſtergit: dein, detracta Mitra, cætera deinceps in Miſſa uſq; ad Pater noſter (ſicut in ipſo Ordinario continetur) peragit. Vbi autem cantãdo peruenerit ad ea uerba Sicut & nos, Subdiaconus ad Diaconum pedetentim redit, qui nudam de manu eius acceptam Patenam Epiſcopo, ubi is Pater noſter compleuerit, eius manum oſculando tradit, eãdem dextra

manu inter indicem, & medium recipienti: tum Epiſcopus cætera dicit, facit'q; , ut eſt in Ordinario notatum: cum uerò dicit Domine IESV Chriſte, qui dixiſti apoſtolis tuis, & cætera: ad ſiniſtrum altaris cornu pergit Aſsiſtēs, ibi'q; genibus flexis, dum altare Epiſcopus oſculatus fuerit, expectat: & tunc ad dextram Epiſcopi accedens, oſculato prius altari, pacem ipſe ab Epiſcopo ſuſcipit dicente Pax tecum, cui ipſe reſpondet Et cum ſpiritu tuo: ac ꝓtinus pacem Dat primùm Primatibus, deinde Diacono (& is rursùs Subdiacono) poſtremò uni cuipiam ex miniſtris, qui eam cæteris omnibus dat. Interim Miſſam Epiſcopus ritè proſequitur. Facta itaq; Communione, & Purificatione, Mitrarius acceptam de altari Mitram offert Diacono, qui eam Epiſcopo imponit, & is in ſiniſtro altaris cornu inſiſtens manus lauat, ut antè. Interim Aſsiſtens librum à dextro cornu in ſiniſtrum trāsfert, ac ſigno, quæ ab Epiſcopo dicenda ſunt, notat. Subdiaconus autem Corporalia complicat, Calicem mūdat, & aptat, ea'q; ad menſam reportat. His itaq; expletis, & manibus abſterſis, Mitram deponit Epiſcopus, & Poſtcommunionem dicit: deinde ad medium altaris accedēs, eo ibi oſculato, uertit ſe (ſi uertendum eſt) ad populum à latere dextro, dicit'q; Dominus uobiſcum, deinde ad librum reuerſus dicit Oremus, & Orationes, quæ dicendæ ſunt, quibus expletis, dum circa finem dicit Per dominum noſtrum, idem ad medium altaris reuertitur, ibi'q;,

reſponſo

reſpóſo à choro Amen, conuerſus (quemadmodum dictum eſt) ad populum dicit iterùm Dominus uobiſcum, & Diaconus ſtatim, reſponſo à choro Et cum ſpiritu tuo, ſubiungit Ite Miſſa eſt, uel Benedicamus Domino pro tempore. Tum Epiſcopus, reſponſo à choro Deo gratias, ſe ad altare à dextra conuertit, & pronius ante altaris medium inclinatus dicit primùm Placeat tibi, & cætera: quo finito, ad benedicendum populum hoc ordine procedit. Si ipſe quidem Archiepiſcopus non eſt, nec Patriarcha, nec maior, accepta ibidem in capite Mitra, ad altare conuerſus dextræ police crucis ſignum ſibi in pectore formans, tempata uoce cãtando dicit Sit nomen Domini bñdictum (chorus autem illi ad omnia ritè reſpõdet) deinde ſe crucis ſigno à fronte ad pectus, & à ſiniſtro ad dextrum humerum ſignans eadem uoce ſubiungit Adiutorium noſtrum in nomine Domini: Poſtremò eleuatis manibus dicit Benedicat uos omnipotens deus: ſed cum dicit Deus, iungit manus ante faciem, & tum baculum paſtorale ſibi à dextra oblatum eadem manu capit, & ſtatim à dextro latere ad populum cõuerſus cum dextra benedicit, ter cruce ſignans, ac dicens Pa ✠ ter, & Fi ✠ lius, & Spiritus ✠ ſanctus. Sin autem Archiepiſcopus, uel Patriarcha, uel maior is fuerit, non ille quidem accipit Mitram, ut ſupra, benedictionem daturus: ſed ipſius crux ante altare allata modico interuallo ſtatuitur, ad quam ipſe detecto capite cõuerſus dicit Sit nomen Domini benedictum,

ac alia omnia, ſignatq́; ac benedicit, ut ante dictum eſt. His demum expeditis, cætera uſq; ad finem (ut in Ordinario habetur) peragit: dictoq́; Euan/gelio. s. Ioannis In principio erat uerbum, & cæte/ra, depoſito Pallio, quod ipſi Diaconus exuit, & ſuper altare extendit, ad ſacrarium ueſtes depoſitu rus eodem ordine, quo uenerat, cum aliis proceden do reuertitur, dicens interim ſub antiphona Trium puerorum, canticum Benedicite omnia opera Do/mini Domino, & cætera, ut dicenda ſunt: alioquin iuxta altare, ubi, & per quos indutus fuerat, ibidem, perq́; eoſdem exuitur, & ueſtes ſuper altari per Capellanos reponuntur. Si uerò intra Miſſam poſt Euangelium decantatum non eſt habita concio, cum primum Epiſcopus populo in fine Miſſæ (ut dictum eſt) benedixerit, Aſsiſtens ad medium altaris ad po pulum conuerſus publicat indulgentias per Epiſco/pum conceſſas formula conſueta. Hæc autem om nia latius in libro, quod Pontificale appellant, tra/dita habentur, ad quem Canonici noſtri maioris pe/ritiæ cauſa poterunt, quotieſcunq; uſus tulerit, ſe re ferre, hoc addito, quod ſi Epiſcopus extra Eccleſi/am ſuam, uel diœceſim celebrauerit, Archi/diaconus, & alter ille à ſiniſtris non ade runt, ſed Diaconus Euangelii, & Subdiaconus illorum uices ſupplebunt.

Finis.

267869

Index capitulorum Ordinarij Canonicorum Regularium Congregationis . s . Saluatoris , Ordinis . s . Auguſtini .

Quibus horis, et temporibus campanæ pulſandæ ſint: & quomodo intrare Eccleſiam, & celebrare officium Canonici noſtri debeant. Cap. i. pag.

Quando conuerſi ad altare, & quando uerſis inter ſe uultibus in choro Officium celebrare Canonici noſtri debeant. Cap. ii. pag.

Quando ſedere, et quando erecti ſtare in Eccleſia Canonici noſtri debeant. Cap. iii. pag.

De Officio Cantorum in Eccleſia. Cap. iiii. pag.

Quæ benedictiones ferialibus, quæq; feſtis diebus dicendæ ſint: & de Orationum, ac Lectionum, & Capitulorum tono. Cap. v. pag.

Quando genua flectere Canonici noſtri debeant. C. vi. p.

Quando, & quomodo inclinare ſe Canonici noſtri debeant. Capitulum vii. pag.

Quando capita detecta habere Canonici noſtri debeant. Capitulum viii. pag.

Quomodo, & à quibus Inuitatoria, Verſiculi, Reſponſoria breuia, et Benedicamus dicenda ſint. Cap. ix. pag.

Quæ ſint feſta minora ſimplicia: & de eorum Miſſa. Capitulum. x. pag.

Quæ ſint feſta maiora ſimplicia: & de eorum Miſſa. Capitulum. xi. pag.

Q uæ ſint feſta minora ſemiduplicia : et de eorum Miſſa. Capitulum. xii. pag.

Q uæ ſint feſta maiora ſemiduplicia : & de eorum Miſſa. Capitulum. xiii. pag.

Q uomodo, & quale Officium fieri dominicis diebus oporteat : & de eorum Miſſa. Cap. xiiii. pag.

Q uæ ſint feſta minora duplicia : & de eorum Miſsa. Capitulum. xv. pag.

Q uæ ſint feſta maiora duplicia : & de eorum Miſsa. Capitulum. xvi. pag.

D e feſtis, ac diebus quibuſdam exceptis, quibus in Miſſa Kyrie, & cætera propria cantanda aſsignantur. Capitulum xvii. pag.

Q uomodo in feſtis minoribus duplicibus Officium peragendum ſit in Veſperis, et in Matutinis. C. xviii. pag.

Q uomodo in feſtis maioribus duplicibus Officium peragendum ſit in Veſperis, et in Matutinis. Cap. xix. pag.

Q uomodo incenſari altare oporteat. Cap. xx. pag.

D e luminaribus in Miſsis, et in choro habēdis. C. xxi. p.

Q uibus diebus Officium diuinum in choro facere Prior debeat. Cap. xxii. pag.

Q uando Fidelium animæ dicendum ſit : & de antiphonis in fine Officij dicendis. Cap. xxiii. pag.

D e antiphonis beatæ Virginis poſt Completorium cantandis : & de Vigilia eiuſdem. Cap. xxiiii. pag.

De ſuffragijs in Officio poſt Veſperas, & poſt Matuti-

num dicendis. Cap. xxv. pag.
Quomodo concludi, ſeu terminari Orationes oporteat. Capitulum .xxvi. pag.
Quibus diebus cantare, uel dicere in ſero Matutinum liceat. Capitulum, xxvii. pag.
Quomodo, & quando Officium, et Miſſam celebrari pro defunctis oporteat. Cap. xxviii. pag.
De Oratione Cœmiterii. Cap. xxix. pag.
Quomodo in Cœna Domini procedendum ſit in Mandato. Capitulum .xxx. pag.
Quomodo proceſſiones in Eccleſia faciẽdæ ſint. C. xxxi. p.
Quomodo feſtis, et ferialibus diebus apparari altaria oporteat. Cap. xxxii. pag.
De coloribus ornamentorum altarium: et quibus ueſtibus quibus temporibus uti miniſtri altaris debeãt. C. xxxiii. p.
De agendis in Miſsa conuentuali per ſacerdotes, & miniſtros, præſertim in duplicibus uel maioribus, uel minoribus, et ſemiduplicibus, ac dominicis diebus. C. xxxiiii. p.
Quomodo aqua benedicta aſpergenda ſit. Cap. xxxv. pag.
Quo ordine procedere ad altare ſacerdos, & miniſtri debeant. Capitulum. xxxvi. pag.
Quo ordine aſsiſtere Sacerdoti ad altare miniſtri debeant: et de celebratione Miſſæ uſq; ad Gloria in excelſis. Capitulum. xxxvii. pag.
Quo ordine aſsidere ſacerdoti miniſtri debeant: et de celebratione Miſſæ uſq; ad Epiſtolam. Cap. xxxviii. pag.

Quo ordine procedere ad cantandam Epiſtolam Subdiaconus debeat: et de celebratione Miſſæ uſq; ad Euangelium. Capitulum. xxxix. pag.

Quo ordine procedere ad cantandum Euangelium Diaconus debeat: & de celebratione Miſſæ uſq; ad Offertorium. Capitulum. xl. pag.

Quo ordine ad ſacrarium, uel aliò, ubi fuerit calix præparatus accedere, ac reuerti cum eo poſt Offertorium Subdiaconus debeat: et de celebratione Miſſæ uſq; ad Lauabo. Capitulum. xli. pag.

Quando in Miſſa thurificari chorum oporteat: & de celebratione Miſſæ uſq; ad Canonem Te igitur. C. xlii. p.

Quando, & quomodo Patena à Subdiacono tenenda ſit: & de celebratione Miſſæ uſq; ad calicis eleuationem. Capitulum. xliii. pag.

Quomodo uinum in ſanguinem conſecrare ſacerdos debeat: & de celebratione Miſſæ uſq; ad Nobis quoque. Capitulum. xliiii. pag.

Quomodo proſequi Miſſam ab Oratione Nobis quoq;, uſq; ad datam pacem ad altare ſacerdos debeat. C. xlv. p.

Quando, & quomodo in choro pax danda ſit: & de celebratione Miſſæ uſq; in finem. Cap. xlvi. pag.

Quomodo, & à quibus cantari Graduale, Alleluia, Tractum, et Sequentiam oporteat. Cap. xlvii. pag.

Quibus horis Miſſæ conuentuales cantandæ ſint. Capitulum. xlviii. pag.

Vbi corpus Chriſti ſeruandum ſit: & quomodo communicare fratres noſtri debeant. Cap. xlix. pag.
De reuerentia exhibenda Epiſcopis, et Cardinalibus in Miſſa conuentuali, uel priuata aſsiſtentibus. Cap. l. pag.
Quomodo ſeruire Epiſcopis, & Cardinalibus Miſſam celebrantibus miniſtri debeant. Cap. li. pag.

Digitized by Google